Servitus.

v. donatio c. 64. 65. 1. Servi sunt in triplici differentia; quidam sunt vere servi, qui ita sunt domini ut eos venundare possit. Alii sunt ascriptitii nimirum qui glebæ seu prædio colendo sunt perpetuo addicti inde nunquam recesituri, dominisque prædiorum annuos reditus omnes præter sumptus & vrictum reddituri. Originarii autem sunt orti ex his ascriptitiis: Omnes tamen ascriptitii & originarii sunt vere liberi, quamvis ad certas operas teneantur. l.7.d.19. n.1.

2. Error conditionis servilis, quando liber contrahit cum ancilla, vel libera cum servo reddit irritum matrimonium: imo quamvis servitus ignorata non sit perpetua, sed pro certo tempore concedatur servo libertas, ut biennii spatio, ut eo transacto in pristinam redigatur servitutem, dirimet matrimonium eo medio libertatis tempore, contractum. n.2. & 3.

3. Probabile est valere matrimonium liberi cum ancilla statu libera, si modicum tempus deficiat, ut statu libera plenam acquirat libertatem, etiam ignorante libero eam conditionem servilem. n.4.

4. In foro conscientiæ non consurgit matrimonium liberi cum ancilla cum errore conditionis servilis, nisi post præscriptam libertatem novus adfuerit consensus, cognita prioris matrimonii irritatione, ut quando ancilla illa esset jam manumissa. n.6.

5. Conjux servitutis ignarus potest propria authoritate recedere quoad thorum, quando servitutem alterius conjugis detexit; quia hoc occulte, & absque scandalo fit: si autem matrimonium sit occultum, ut probari non possit, potest etiam liber authoritate propria recedere quoad habitationem, eo quod sit certus matrimonium fuisse nullum, & cesset separationis scandalum. n.7.

6. Enriques ait, petenti conjuge libero dissolvi matrimonium ratione servitutis a se ignoratæ, ipsi incumbere eam servitutis ignorantiam probare: verum dicendum est conjugi servilis conditionis incumbere onus probandi scientiam suæ conditionis in altero; & ignorantiam liberi præsumi, dum contrarium minime probatur; intellige, nisi tempore contracti matrimonii, conditio conjugis servilis esset communiter in eo loco nota; quia præsumitur scientia eorum quæ communiter innotescunt. n.8.

7. Quando servitus non est vera, sed ascriptitia, vel originaria, ejus error non dirimit matrimonium; hinc valet etiam matrimonium cum liberta, idest, cum ea quæ ancilla fuit, jam tamen libertate donata est. n.9. & 10.

8. Certissima res est servitutem non præstare naturale impedimentum matrimonio ineundo; atque ita validum esse matrimonium servorum inter se, & matrimonium liberi cum ancilla, vel liberæ cum servo, non ignorata servitutis conditione: secundum autem Sotum peccabit mortaliter liber absque urgenti causa ancillam ducens: quod tamen non est credendum; licet fiat talis irregularis, quamvis ancilla virgo sit. n.13. & 14.

9. Affirmant aliqui, & satis probabiliter errorem servitutis ita obstare matrimonio ineundo, ut jure naturali reddat irritum matrimonium initum cum libero sic erranti: ceterum probabilius est solo jure Ecclesiastico irritari matrimonium, quamvis id valde juri naturali consonum sit. n.15. & 16.

10. Valet matrimonium inter infideles initum cum errore conditionis, nisi aliqua lege eorum speciali irritetur. num.17.

11. Matrimonium liberi cum ancilla, secundum quosdam probabiliter opinantes, valet, etiamsi ignorantia conditionis servilis sit crassissima ac levissima: opposita tamen sententia est probabilior. n.19. 20.

12. Tanquam certissimum est tenendum, non omnem conditionis errorem efficere ut matrimonium sit nullum; sed quando talis est error ut fiat deterior errantis conditio; secus si erretur in pari aut digniori conditione: licet contrarium placeat quibusdam. n.22. & 23.

13. Si dominus personam conditionis servilis collocet in matrimonio cum persona libera ignara servitutis, nec eam detegat; eo ipso persona illa servituti subjecta, sive sit masculus, sive femina, libertatem consequitur: & minime desideratur dolus in eo domino tradenti nuptui ancillam libero tacita servitute. l.7. d.20. n.1. & 2.

14. Quando uterque contrahens est servus, vel si alter liber, est conscius servitutis, quamvis dominus consentiat, tradatque mancipium in matrimonium, non consequitur servus libertatem, quia textus eam libertatem donantes mancipio, expresse loquuntur quando liber fuit servitutis inscius. n.3.

15. Ut servus vel ancilla consequantur libertatem, satis est ut domino tacente conditionem servilem, conscioque matrimonii illud ineat cum persona libera servitutis ignara: tamen desideratur dolus in domino sic tacente, ut mancipium consequatur libertatem. n.5. & 6.

16. Si dominus in matrimonium tradat ancillam libero servitutis conscio, dotis instrumentum ancillæ conficiens, eo ipso ancilla efficitur libera. n.9.

17. Si dominus ancillam ducat in uxorem, etsi quidam dicant eam consequi libertatem; verum dicendum est jure communi attento eam ancillam minime effici liberam: licet attento jure regni Hispaniæ eo ipso libera dicenda sit. n.10. 11. & 12.

18. Quando ancilla vel servus ineunt matrimonium cum persona libera ignara servitutis, domino tradente in matrimonium vel sciente & tacente servitutem, in quibus eventibus consequuntur libertatem ex ipsomet matrimonio, quidam putant illud matrimonium esse nullum; sed tenendum est servos illos consequi libertatem, & matrimonium consistere. n.13. & 14.

19. Certa res est posse servos invitis dominis licite matrimonio copulari; quia jus dominorum non se extendit ut servis matrimonium ejusque usum prohibeat. lib.7. disp.21. num.3. v. consuetudo c.14

20. Nefas est domino matrimonium servi impedire: nec potest tuta conscientia servus a domino puniri, quod matrimonium illo invito inierit, quia usus est jure suo, ac in nihilo deliquit. n.5. & 6.

21. Dominus non tenetur tamen consentire in servi matrimonium, sed potest tuto reniti nullum obstaculum afferendo. num.7.

22. Quando matrimonium cœptum est, quia servus fidem suam alligavit alicui de matrimonio cum ea contrahendo, nefas est domino mancipium alio vendendum mittere, quo se incolumem servet damnique immunem, quod ex servi matrim. in ipsum redundaret: si autem sponsalia nondum sint inita, poterit dominus sic venundare. n.8. & 9.

23. Servus per contractum matrimonii minime eximitur ab obsequiis consuetis domino præstandis quia quidquid servus est, domini est. n.11.

24. Quando non simul stant obsequium domini, ac reddere uxori debitum, quidam affirmant dominum præferendum; alii ajunt speciales circumstantias occurrentes attendendas esse, nimirum, periculum incontinentiæ petenti ex dilatione imminens: & detrimentum domino redundans ex mora præstandi obsequii; alii tandem docent etiam contradicente domino inito matrimonio, potius morem gerendum conjugi petenti, nisi dominus gravi necessitate obsequii statim sibi præstandi opprimeretur: ceterum verior ex his sententiis secunda est, & insuper dicendum est, ubi cetera sunt paria neutrius necessitate præponderanti, potiores esse conjugis partes, ut sibi reddatur debitum postulanti, sive conniventi, sive invito domino matrimonium initum sit: hoc tamen non metaphysico & exacto rigore, sed morali modo accipiendum est. a n.12. ad 16.

25. Servus sive voluntate domini, sive absque illa inierit matrimonium, potius & antiquius habet jus ad honestam & moderatam debiti exactionem, quam dominus jure servitutis ad obsequia, quæ huic moderatæ exactioni impedimento essent. n.17.

26. Varii varie sentiunt an integrum sit domino servum conjugatum in partes longinquas vendendum mittere: sic tamen concludendum est. Si uxor libera sit, sive a tempore matrimonii, sive ex post facto libertatem consecuta, & commode possit sequi virum, potest servus ubicumque a domino venundari, quamvis consentiente domino matrimonium initum sit. l.7.d.22.a n.1. ad 8.

27. Quando uxor est ancilla, potest utique vendi viro existenti libero, sive tempore matrimonii talis fuerit, sive post manumissus, si commode possit ancillam venditam alibi sequi; quamvis consentiente domino eam duxerit, quod adhuc non impediatur usus matrimonii. n.9.

28. Quando uterque conjux servituti subjectus est, vel si alter liber sit non potest commode alterum sequi, ac proinde ab ea obligatione est immunis; si consensu domini matrimonium initum sit, tenetur dominus lege justitiæ non ita distrahere servum, quin matrimonio uti possit. n.10.

29. Si servus male moratus esset, ac inique animo ac vita constitutus, ita ut nequeat a domino absque periculo proprio, aut rerum suarum sustineri; nec in proprio oppido aut partibus vicinis inveniretur emptor, posset tunc in partibus remotis distrahi. Ibidem.

30. Quamvis servi matrimonium sit initum ignorante aut contradicente domino, tenetur dominus sub culpa mortali servum non distrahere in partes remotas, ubi non est facultas utendi matrimonio, & non compellitur urgenti necessitate eo quod pretium justum invenire potest in eodem loco: imo probabilius est & fere certum, id peccatum domini esse contra justitiam. num. 11. & 12.

31. Ut venditio servi conjugati in partibus remotis a labe injustitiæ eximatur, non satis est minime invenire in eo oppido emptorem justum servi pretium offerentem, sed desideratur adesse necessitatem, quæ juri servi præponderet, & damno ex ea venditione secuto; nimirum, quia magna necessitas urget dominum ut servum distrahat, & notabilis est diminutio pretii. nu. 13.

32. In eventibus, in quibus venditio servi extra locum matrimonii est adversus justitiam, tenetur dominus lege justitiæ eam injustitiam conjugibus refarcire, aut emendo conjugem derelictum, ut transferat in locum ubi alter conjux est, aut servum venditum iterum emendo, ut in priorem matrimonii usum restituatur. n.14.

33. Si uterque conjux servus sit diversi domini, & diversa loca inhabitantis, ita ut mutuo convenire nequeant obsequiis dominorum satisfaciendo; tunc ut vitetur fornicationis periculum cogendus est alter dominus per Ecclesiam vendere alteri volenti emere: quod si neuter dominus emere velit, cogendus erit alter vendere, cuicumque extraneo in parte illa in qua alter servus est, & si nullos inveniatur emptor, emat Ecclesia. n. 16.

v. filius c. 28. 34. Sufficit tempore conceptionis, aut nativitatis, aut medio tempore matrem liberam fuisse, ut partus libertate gaudeat, ut si ancilla prægnans sit manumissa, deindeque ante partum in servitutem redacta, proles nata, libera erit, ob libertatem matris medio illo tempore comparatam: intellige, quando ex vi natalium, & status matris, est futura soboles libera, aut servituti subjecta. l.7. d.24. n.10. & 11.

35. Cum mater prægnans pure belli capta est, fœtus quoque mancipium fiet, non obstante libertate matris tempore conceptionis. n.14.

36. Matre effecta serva, eo quod ob necessitatem a patre vendita sit, filius post servitutem conceptus, sit servus; quia ex matre vere ancilla ratione legitimæ venditionis effecta conceptus est. n. 15.

37. Si tempore quo mater se vendidit, vel a patre venundata est, prægnans fuerit, in neutro casu fœtus est servus, sed liber, quia tempore conceptionis mater erat libera. num.16.

38. Si communis ancilla duorum, aut plurium dominorum ab aliquo illorum manumittatur, & post eam manumissionem antequam solvatur pretium alteri domino partis quam habebat in ancilla, pariat, proles erit servituti subdita, quia ancilla non consequitur libertatem, donec id pretium solvatur. n.17.

39. Si ancilla sit statu libera (dicitur autem talis quæ statutam & destinatam habet libertatem in tempus vel in conditionem) & ante illius temporis, aut conditionis adventum pariat, fœtus est servus, quia ipsa interim ancilla est. n.18.

40. Si quis leget ancillæ libertatem sub hac conditione, si tres pepererit filios, & tertio partu duos aut tres fœtus edat, quando tres, duo ultimo editi sunt liberi, & quando duos, ultimus est liber. n.19.

41. Tradita libertate ancillæ pro tempore certo & præfinito, ut pro quatuor annis fœtus eo tempore, & quocumque alio post illud editus, est liber, quia libertas illa est perpetua. n.20.

Signaculum virginale.

v. matrona c. 12. Quidam dicunt signaculum virgineum esse carneam membranam, quæ hymen, & eugion appellata virginibus est peculiaris, ac virili coitu lacerata aboletur: alii dicunt unicam inter mille feminas eam membranam habere, atque ita claustrum seu signaculum virgineum non esse partem aliquam carnis seu membranam, sed quasi quandam complicationem partium ipsius orificii vasis feminei, quæ per viri accessum dilatatur, & sic aperitur, & patefit vas, & hoc est verissimum, id attestantibus peritissimis medicis. l.7.d.14. n.1.

Simonia.

1. Simonia non est, offerre munera gratis, & absque aliquo pacto, ad captandam benevolentiam, & inducendum ad Baptismum, ad religionem, & alia opera spiritualia. l.1. d.39. n.2.

2. Accipiens munera conscius intentionis dantis, minime peccat accipiendo, integumque illi est postea annuere, vel renuere votis donantis, quia ea donatio liberalis omnino fuit. Ibidem.

3. Pecuniis impedimenta auferre retardantia a Baptismi susceptione, aut a religionis ingressu, simonia non est: quia hoc non est spiritualia emere, sed solum obstacula auferre. n.3.

4. Probabilius est licitũ esse offerre munera ea lege & pacto, ut is cui offeruntur, efficiat aliqua opera spiritualia. n.4.

5. Si pœna apponatur in contractu ingrediendi religionem cum religiosis, vel alio homine inito, est prorsus irrita. n.5

6. Arræ valent in contractu ingrediendi religionem, ut si quis Religiosus promitteret se habitum induturum, & in signum promissionis implendæ traderet arras, valerent, argumento deducto a matrimonio carnali in quo valent, ad spirituale: nec vitium aliquod simoniæ continet cum nil ematur, nec vendatur. n.6.

Sponsalia.

v. alandestinis c.1. v. conditio. v. honestas publica. v. juramentum c. 36. & seq. v. metus. v. papa c. 1. v. pœna. v. promissio. v. ratificari c.13. v. religio c. 15. & seq. v. verba. 1. Sponsalia a spondendo dicuntur; quia spondere est sponte promittere, & in hoc contractu maxime requiritur spontanea promissio: item quia mos erat antiquis ut puella nuptura promitteretur viro a patre, vel tutore, vel amicis. l.1. d.1. n.1.

2. Sponsalia tripliciter sumuntur. 1. pro futuri matrimonii promissione. 2. pro matrimonio non consummato, unde sponsa sic appellatur nupta alteri per verba de præsenti nondum cognita. 3. dicuntur sponsalia, munera quæ a sponsa dabantur. Ibidem.

3. Sponsalia quatenus sunt futurarum nuptiarum promissio, triplex desideratur conditio, ut valida sint. 1. ut sit promissio futuri matrimonii. 2. ut sit inter personas jure habiles ad contrahendum. 3. ut verbis aut signis manifestetur. num. 7.

4. Sponsalia appellantur sacramentalia quædam matrimonii, idest, prævia ad ipsum matrimonii Sacramentum. n.8

5. Illæ solæ personæ sunt habiles ad sponsalia, inter quas consistere potest matrimonium. l.1. d.15. n.1.

6. Omne impedimentum perpetuum, quod impedit matrimonium licet non dirimat, dirimit tamen sponsalia; secus quando est impedimentum temporale. n 2.

7. Quidam culpam lethalem esse ajunt, non tantum ante septennium, sed etiam ante pubertatem sponsalia contrahere; alii id tantum admittunt in sponsalibus contractis ante septennium: probabilior tamen sententia ait nullo modo esse culpam lethalem etiam ante septennium sponsalia contrahere. l.1. d.17. n.2. 3. & 4.

8. Ante legitimam ætatem matrimonium contrahere, & præsertim sine Episcopi licentia, & sine justa causa interveniente, censent aliqui culpam esse lethalem: oppositum tamen probabilius est, quia a jure antiquo recedendum non est absque textu expresso. n.5. & 6.

9. Quidam dicunt non esse sufficiens signum taciti matrimonii, vel sponsalium, quando parentes contrahunt sponsalia vel matrimonium pro filiis præsentibus, & tacentibus, quia taciturnitas in re tam gravi non satis exprimit consensum, sed omnino tenendum est illam sufficere ad matrimonium, & vera sponsalia constituenda, quia præsumitur parentes recte filiis consulere; quare præsentia, & taciturnitas filiorum jure optimo consensus reputatur. l.1. d.23. n.2. & 3.

10. Quorundam sententia est, non esse speciale, dum parentes pro filiis contrahunt, ut sufficiat præsentia & taciturnitas, sed idem dicendum esse de quocumque extraneo, multo tamen probabilior sententia asserit, esse speciale in parentibus, unde si alii respondeant, desiderabitur aliud signum consensum internum exprimens ut valeant sponsalia & matrimonium; sufficeret tamen tacita ratificatio: & hæc vera licet filius emancipatus sit, aut sit spurius ex damnato concubitu genitus. a n.6. ad 12.

11. Non sunt sponsalia quoties promissoris verba non feruntur in personam certam, ut si pater promittat se unam ex pluribus filiabus daturum, & illæ consentiant; nec oritur publica honestas. l.1. d.26. n.1.

12. Electio est patris promittentis, & si unam filiam offerat excusatur, & si omnes obeant præter unam, tenetur illam dare. num.2.

13. Si sponsus copulam habuit cum aliqua ex filiabus a patre promissis, nisi hæc filia cognita contraxerit sponsalia determinate cum illo cognoscente, pater nec illam nec aliam tenetur tradere; & hoc verum supposito hodie non transire ea sponsalia conditionalia in matrimonium, nec in sponsalia absoluta. n.4.

14. Si pater promittat Titio Mariam, & casu quo nequeat, ejus sororem, tenetur tradere Mariam, sin autem possit: aut Maria tacite vel expresse consensit sponsalibus, non sub conditione ut pater pollicitus est, sed absolute, & tunc non potest sororem tradere impediente publica honestate orta ex prioribus sponsalibus absolutis, & validis: si autem illa non consensit nisi sub conditione quæ implera non est, tenetur utique sororem tradere juxta promissa. num. 5.

15. Si quis promittat unam filiam ex pluribus consentientibus ducere, potest eligere quam maluerit, & electa tenebitur, quia omnes illæ repromiserunt, & promissoris est electio. num. 6.

16. Attento jure antiquo si quis se unam ex pluribus ducturum promittat, & postmodum aliquam ex illis carnaliter cognoscat, quidam negant sponsalia illa transire in matrimonium; verum probabilius est transire in matrimonium, dummodo illæ promittenti matrimonium repromiserint; & promissio fuerit cum una ex certis feminis; secus si cum una ex incertis. a num.7. ad 10.

17. Verius est sponsalia sub conditione honesta inita, non effici sponsalia pura, nec recedi a conditione, quando ante conditionis eventum sponsi carnaliter commiscentur. num. 12.

18. Si conditio adjecta sponsalibus sit de dote constituenda, quamvis antiquitus recedi videbatur a conditione per copulam, & hodie etiam si omnia fiant coram parocho & testibus; id tamen est ad hunc effectum ut non spectetur conditionis eventus ad purificandum matrimonium, non tamen ut doris solvendæ obligatio extincta sit. nu.13.

19. Tanquam certum tenendum est sponsalia sub culpa lethali obligare, quia omnis contractus obligat ex justitia. l.1. d.27.

20. Docent quidam promittentem sponsalia teneri statim implere habita commoda opportunitate: ceterum dicendum est, si dies apposita minime sit obligationi, nec alia conditio, non teneri promissorem statim implere, sed tantum requirente eo cui promissio facta est: tunc vero cum alter petit, teneri contrahere si commode potest. l.1. d.28.

21. Quidam ajunt non esse cogendum per judicem sponsalium fidem servare, qui citra legitimam causam eam implere recusat, sed si monitis non acquieverit relinquendum esse; alii docent tantum cogendum esse quan-

quando ſponſalia juramento confirmavit; probabilior autem ſententia cenſet prius monendum eſſe, & ſi renuat, cogendum eſſe per cenſuram imo per carcerem, niſi attentis circumſtantiis prudenter arbitretur judex ex invitis nuptiis gravia mala & ſcandala timeri. l.1.d.29. n.2.3.& 4.

22. Quando juramentum ſponſalia firmavit, ſtudioſius compellendus eſt promittens ratione majoris vinculi, & religionis juramenti. n.5.

23. Judex utriuſque fori competens eſt ad hanc coactionem, dummodo de ſponſalium valore minime agatur, quo caſu ſolus Eccleſiaſticus adiri poſſet. n.9.

24. Sponſalia per votum ſimplex religionis & caſtitatis præcedens diriminntur; propoſitum tamen cælibatus ſervandi in ſæculo nulla ratione ſponſalia dirimit, quia tale propoſitum, ſi voto non firmetur, non conſtituit ſtatum. l.1.d.46. n.2.3.& 4.

25. Dum ſponſus caſtitatem vovit, alter a fide ſponſalium ſervanda liber eſt; quia vovens eo ipſo ſponſalibus renuntiavit. n.5.

26. Probabiliſſimum eſt poſt ſponſalia licite poſſe ſimplex votum caſtitatis emitti, illaque diſſolvere, nec voventem poſſe matrimonium antea promiſſum inire, licet probabilior ſententia aſſerat non dirimi ſponſalia. n.7.& 9.

27. Poſito non dirimi ſponſalia per ſimplex votum caſtitatis, quidam ſentiunt, hunc qui poſt ſponſalia caſtitatis voto ſe aſtrinxit teneri religionem ingredi, niſi remittatur ſibi promiſſio matrimonii: tamen probabilius eſt non teneri ad religionem aut ordinem ſacrum, ſed poſſe ingredi ſi velit, ſin minus, teneri ſponſalia perficere, matrimonio contracto. n.12.& 13.

28. Votum ſimplex caſtitatis poſt ſponſalia emiſſum, dicunt aliqui eſſe invalidum, ſed prorſus tenendum eſt votum obligare in ipſius voventis, non tamen in ſponſæ præjudicium. n.14 & 15.

29. Nonnullorum ſententia probabiliſſima eſt, votum ad ordines aſcendendi, ſponſalia dirimere, quia in ſacro Ordine ſolemne votum caſtitatis includitur: verum ſententia probabilior aſſerit ſponſalia non dirimi voto ordinis ſacri ſuſcipiendi, nec illis aſtrictum poſſe ad Ordines ſacros promoveri: fatendum tamen eſt ſponſum voto ſe aſtringentem ſuſcipiendi Ordinis ſacri cenſeri renuntiare ſponſalibus, atque ita alterum liberum eſſe a ſponſalium fide. l.1.d.47.

30. Cenſent quidam probabiliter ſponſalia non omnino extingui per matrimonium cum alia contractum valide, & ita ſoluto matrimonio teneri, ſponſum ad priora ſponſalia: ceterum probabilius eſt omnino extincta eſſe, & proinde ſoluto matrimonio nullam illa perſiciendi obligationem ſupereſſe: & hæc vera licet priora ſponſalia juramento firmata ſint. l.1. d.48.n.2.3.& 4.

31. Si ſponſus ſpe matrimonii virginem violaſſet, teneretur ſoluto matrimonio eam ducere, non vi ſponſalium quæ extincta ſunt, ſed ratione damni illati: & hoc intellige, niſi jam aliunde eſſet ſatisfactum. n.5.

32. Ante Concilium Tridentinum priora ſponſalia dirimebantur per poſteriora, copula ſubſecuta cum poſteriori, quia poſteriora tranſibant in matrimonium; nunc autem cum ceſſarit matrimonium illud præſumptum, dicendum eſt non dirimi priora ſponſalia, quia fides poſterius data in præjudicium prioris fidei, irrita eſt: & hoc intelligendum, ex parte contrahentis poſteriora ſponſalia; nam ex parte alterius diſſoluta manent, quamvis cum poſteriori ſponſa non habita ſit copula. l.1. d.49. num.1. & 2.

33. Quamvis non ratione ſponſalium priora dirimantur per poſteriora cum copula, ratione tamen damni illati verius eſt adhuc non diſſolvi, ſed priorem ſponſam eſſe ducendam; quia injuria illata poſteriori non aufert jus ſuum priori: ex quadam tamen æquitate aliquando ſervanda eſſet opinio affirmans deflorataṁ eſſe ducendam, ut quando illa grave damnum pateretur, prior vero leviter læderetur. n.4.5.& 6.

34. Aliqui exiſtimant priora ſponſalia diſſolvi per poſteriora juramento ſtabilita, & ideo ſervandum eſſe poſterius promiſſum, & priori aliter ſatisfaciendum eſſe: ceterum eſt dicendum prævalere priora ſponſalia; quia juramentum illud fuit de re iniqua, & in præjudicium tertii; ex parte tamen illius cui prior fides data erat, ſoluta ſunt ſponſalia. l.1.d.50. n.1.2.& 3.

35. Quando ſecunda ſponſalia non fuerunt valida, quia contrahens primis ligatus erat, nec erat juſta recedendi cauſa, ſi ante celebratum matrimonium cum priori diſſolvantur ſponſalia, quidam affirmant teneri ad poſteriora; verius tamen eſt minime teneri, quia priora non valuerunt etiam in ratione promiſſionis, cum fuerit rei illicitæ promiſſio. n.5. & 6.

36. Si duo impuberes ſponſalia contrahant, neuter poteſt ante pubertatem reſilire, pubes tamen factus, poteſt quilibet. l.1.d.51.n.6.

37. Non ſufficit mutuus impuberum conſenſus, ut ante pubertatem reſilire poſſint a ſponſalibus; ne ob debile judicium paſſim contrahant & reſiliant. n.7.

38. Prius pubes factus, poteſt ſtatim reſilire, nec tenetur pubertatem alterius expectare. n.9.

39. Pubes cum impubere contrahens nunquam reſilire poteſt, id autem licet impuberi, cum pubes fuerit, & non antea, n.10.

40. Si major ſeptennio ſponſalia contrahat cum infanti, non poteſt reſilire, donec infans ſeptennium habeat, & tunc eo volente tenetur promiſſis ſtare. n.11.

41. Si parentes pro impubere ſponſalia contrahant, quoties ſunt valida, non poteſt impubes reſilire, donec pubeſcat; ſecus quando invalida ſunt. n.12.

42. Sicut a ſponſalibus veris non licet reſilire ante pubertatem, ita nec præſumptis; ut ſi impuberes contrahant per verba de præſenti. n.13.

43. Quando impubes factus pubes a ſponſalibus reſilire poteſt, debet ſtatim pubertate adepta reſilire, alioquin poſtea non poterit, quia ex quo ſtatim non contradicit, videtur tacite conſentire: ſtatim autem intelligitur, triduo ante, vel poſt pubertatem. n.14.

44. Non eſt opus ut factus pubes ſponſalia ratificet, ſed eo ipſo quod non reclamat, manent indiſſolubilia. num.15.

45. Si impubes ante pubertatem reſiliat a ſponſalibus, & poſtea non mutet eum diſſenſum, nec amplius recordetur poſt pubertatem, manent tunc diſſoluta ſponſalia. num.16.

46. Si toto tempore præcedenti impubes perſtitit in ſponſalibus, at factus pubes ſtatim interius diſſenſit, ſatis eſt pro foro conſcientiæ. n.17.

47. Affirmant quidam jura concedentia impuberibus, adepta pubertate poſſe a ſponſalibus ante initis reſilire, loqui permiſſive & in foro externo; dicendum tamen eſt textus procedere in utroque foro, & proinde ex ſolo impuberis diſſenſu adepta pubertate abſque alia cauſa ſolvi licite ſponſalia. n.18. & 19.

48. Non caret probabilitate ſponſalia impuberum non firmari juramento, & ita reſilire poſſe; verum probabilius eſt firmari, nec licitum eſſe reſilire. n.21. 22.

49. Juramentum ut firmet ſponſalia præſtandum eſt ab impuberibus doli capacibus: dicitur autem doli capax ad hunc effectum, ſecundum aliquos, poſt ſeptennium; ſecundum alios, quando maſculus excedit decimum, & dimidium annum, femina vero nonum & dimidium; ſed hoc potius arbitrio judicis relinquendum eſt. num.23. & 24.

50. Ubi puer non eſſet doli capax ut ejus juramentum confirmet ſponſalia, indiget relaxatione juramenti; cum enim uſum rationis habeat, obligari Deo potuit, ea autem facile concedenda eſt ab Epiſcopo ob ætatis imbecillitatem. n.25.

51. Sponſalia puberum diſſolvi poſſunt mutuo ipſorum conſenſu, nam ſi uterque, vel alter impubes ſit; non ſufficit diſſenſus donec ad pubertatem accedat. l.1.d.52 n.2.

52. Quando alter tantum a ſponſalibus reſilit, quamvis obligatione non ſit immunis, alter tamen immunis manet, eo quod prior ſponſalibus renuntiat. n.4.

53. Dicitur alter a ſponſalibus reſilire, ita ut alter liber maneat, quando apparet alterum requiſitum ut contrahat nolle eo tempore, nec alio contrahere; & hoc verum quando nullus terminus ſponſalibus contrahendis deſtinatus eſt, ſi enim deſtinatus ſit cauſa finiendæ obligationis, manebit alter liber. n.5.

54. Quando ſponſalia juramento firmata ſunt, ſi juramentum illud in partis favorem præſtitum ſit, ſecundum communem fere omnium ſententiam mutuo conſenſu diſſolvi poſſunt. nu.6.

55. Quando juramentum eſſet principaliter in honorem Dei præſtitum, ut ſi intuitu pietatis quiſquam juret feminæ pauperi ſe eam ducturum, ac tota res promiſſa cedit in favorem partis, quidam negant mutuo conſenſu ſponſalia hæc poſſe diſſolvi, ſed contrarium eſt verius, quamvis juramentum Deo præſtitum ſit. n.7.& 8.

56. Probabilis quorumdam opinio eſt lapſu termini ſponſalibus adjecti ſemper ea diſſolvi ex parte ejus per quem non ſtetit; probabilior autem ſic diſtinguit; ſi ſponſalibus jam contractis tractetur ex intervallo de die matrimonii celebrandi, lapſus termini neutrum liberat a ſponſione; ſi autem tempore ipſo quo ſponſalia contrahuntur, apponantur termini, tunc lapſus termini eximit ab obligatione illum per quem non ſtetit. l.1. d.53. num.4. & 5.

57. Si is per quem ſtetit, vacet culpa, quia legitimo impedimento ſponſalia, aut contractum, debito termino non perfecit, minime diſſolvuntur ſponſalia; idem dicendum quando uterque juſto impedimento detentus non perficit tempore præfixo. n.7.& 8.

58. Ubi tempus deſignatur a judice ſponſalibus perficiendis ob fornicationis periculum imminens; poteſt eo tempore elapſo is per quem non ſtetit aliud inire matrimonium, quia terminus cenſetur appoſitus obligationi finiendæ, ne diutius cum fornicationis periculo nuptiæ protrahantur. n.9.

59. Non diſſolvuntur ſponſalia quando ſponſus abeſt ex cauſa neceſſaria, ut ob parentum obitum, &c. quia tunc expectandus eſt donec ceſſet impedimentum; quando autem abeſt ex cauſa probabili & juſta, non tamen neceſ-

neceſſaria, & tunc ſi in eadem ſit Provincia, eſt biennio expectandus, ſi in alia, triennio. l.1. d.54.n.4.

60. Cenſent quidam, & ſatis probabiliter, jus civile non eſſe correctum per Canonicum, & ita tempus ſponſalia adimplendi eo jure civili præſcriptum ſervandum: ſed probabilius eſt correctum eſse; quare ſponſo in longinquam ſe regionem transferente non obtenta ſponſæ licentia, liberum eſſe huic relicto, alii nubere, quamvis ſponſalia juramento ſtabilita ſint. n.5.6.& 7.

61. Dum ſponſus eſſet in loco propinquo, ille expectandus eſt, vel requirendus, ut intra certum tempus contrahat matrimonium & ſi juſto impedimento detineatur, non ſunt temere ſponſalia dirimenda, ſed attenta ſponſæ qualitate, quæ forſan ex mora fornicationis periculum pateretur. n.11.

62. Quando ſponſus de licentia ſponſæ ſe in longinquum tranſtulit, inter eoſque convenit de abſentiæ tempore, tantum tenetur ſponſa eo tempore expectare, & ſi tempore ſtatuto non venerit, poteſt ſponſa alii nubere. n.13

63. Sponſa de futuro non tenetur ſequi ſponſum vagantem: unde ſi poſt ſponſalia contracta norit ſponſa velle ſponſum mutare domicilium, ſe in alium locum transferendo, non tenetur cum ipſo contrahere, ſed eſt ſufficiens cauſa ſponſalia diſſolvendi. n.14.

64. Sponſalia etiam juramento firmata diſſoluntur per ſequentem fornicationem, ſive viri ſive feminæ; idem dicendum de fornicatione ſpirituali, ut ſi alter ſponſus in hæreſim labatur. l.1.d.55.a n.1.ad 4.

65. Poteſt vir a ſponſalibus recedere, ſi poſt femina tactus impudicos alterius, ut amplexus & oſcula patiatur, quia eſt notabilis mutatio, idque in magnum viri dedecus cedit. n.5

66. Sponſalium diſſolutio eſt in ſolius innocentis favorem, quare fornicans aſtrictus manet, innocens autem liber; quia delictum proprium non debet immunitatem præſtare fornicanti, abſolutionem a contractu. n.6.

67. Si ſponſa vi præcila cognita ſit, quidam negant præbere juſtam cauſam diſſolvendi ſponſalia; quia ſponſa culpa vacavit, nec ſimilis copula jus dat ſeparandi matrimonium quoad thorum; ſed dicendum eſt eſſe cauſam ſufficientem diſſolvendi, quia eſt notabiliſſima mutatio, & maxima infamiæ nota vir afficietur. n.7.

68. Affirmant quidam ſimiliter ſponſalia diſſolvi per viri omnino inviti, culpæque expertis fornicationem: at omnino contrarium credendum eſt. n.8.

69. Si uterque ſponſus poſt ſponſalia fornicetur, verius eſt non eſſe compenſationem fornicationi ſponſæ cum fornicatione ſponſi, quia inique fieret compenſatio, ubi detrimentum eſt multo gravius, ut eſt detrimentum viri ob fornicationem ſponſæ. n.9.

70. Diſſolvuntur ſponſalia ob impedimentum dirimens ſuperveniens: ſi autem ſit impediens tantum, quidam tenent dirimi ex parte innocentis ſolum, ne alter ex crimine ſuo reportet commodum; ſed verius eſt non dirimi, ſi votum ſimplex excipias. l.1.d.56. n.1. 2. & 3.

71. Sponſus, cujus culpa contrahitur impedimentum dirimens, tenetur diſpenſationem impetrare, ut ſponſalia perficiat, præſertim ſi vir feminam deflorarit, vel ea notabilem famæ jacturam patiatur, ni ducatur in uxorem. n.4.

72. Sponſalia diſſoluntur etiam juramento firmata, fœditate notabili, ut oculorum, vel naſi ſeu oculi amiſſione, vel turpiori alia ſuperveniente, vel paralyſi, lepra, morbo gallico, vel quolibet alio contagioſo, eſt enim notabiliſſima mutatio: idem dicendum ſi ſuperveniat epilepſia, vel ei os male oleat, nec arte medica curari poſſit; vel ſi ſponſus furti vel alterius criminis turpis damnatus ſit. l.1.d.57.n.1.2.& 3.

73. Si ſponſa tempore ſponſalium pulcherrima eſſet, ea effecta notabiliter deformi, aliqui negant ſponſalia diſſolvi: tamen verius videtur diſſolvi, quia res non in eodem ſtatu permanent: prædicta autem intelliguntur ex parte illius qui illæſus eſt; eo enim volente ſolvuntur ſponſalia, ſecus nolente, quia in favorem illius hoc eſt. n.4.& 5.

74. Quoties denuo agnoſcitur notabilis morum aſperitas & ſævitia alterius, vel ob graves & capitales inimicitias inter ſponſos ortas, ſponſalia diſſolvuntur; quia eſt nova cauſa, & notabilis mutatio ſuperveniens. l.1.d.58

75. Si ſponſa, quæ dives erat, facultatibus jam lapſa, dotem promiſſam implere non poſſit, quidam dicunt minime diſſolvi ſponſalia; dicendum tamen eſt dirimi, nec teneri alterum eam ducere, quia promiſſio dotis eſt veluti conditio ſub qua ſponſalia celebrantur, quare deficiente conditione etiam citra feminæ culpam, non obligabunt. l.1.d.59.n.2.

76. Quando nulla dotis promiſſio prævia eſt, ſecundum quoſdam probabiliter opinantes, non diſſoluntur ſponſalia, ob paupertatem ſponſæ ſupervenientem, licet verior ſententia doceat diſſolvi, quamvis juramento ea ſponſalia firmata ſint. n.3.4.& 5.

77. Si ſponſus tempore ſponſalium ditiſſimus eſſet, ei poſtmodum facto notabiliter pauperi, non tenetur ſponſa nubere, quia eſt notabiliſſima mutatio: ſi tamen uno ſponſo in eodem ſtatu permanenti, alteri ingentiſſima divitiarum copia accreſceret, non ob id ſponſalia diſſolverentur, quia alter non eſt effectus deterioris conditionis. n.6.& 7.

78. Jurans ſe aliquam ducturam nulla dotis promiſſione præmiſſa, ſecundum quoſdam tenetur ipſam ducere, ſi cum ipſa dives ſit nullum ei dotem aſſignare velit; & maxime quando vir dives eſſet, oneraque matrimonii ſuſtinere poſſet: ceterum quamvis hoc probabile ſit, probabilius eſt non teneri. l.1.d.60.

79. Regulæ generales ad ſponſalium diſſolutionem, hæ traduntur. Prima eſt. Cum vincula ſunt inæqualia, fortius, etſi poſterius ſit, vincit: hæc tamen regula ſæpe deficit, & ideo multi eam impugnant. l.1. d.62.n.1.

80. Secunda eſt. Quoties ſunt duo vincula paria impoſſibilia, prius prævalet, & dirimit poſterius: & hæc eſt univerſaliter vera, ſi vincula ſint ejuſdem rationis. n.2

81. Tertia eſt. Quando poſt contracta ſponſalia, inconveniens aliquod notabile, aut nova cauſa, quæ a principio exiſtens impediret ea contrahi, ſupervenit, præbet juſtam diſſolvendi cauſam. n.3.

82. Aſſerenti ſe minime promiſurum, ſi a principio talis cauſa abeſſet, adhibenda eſt fides in utroque foro, ſi judicio prudentis viri, conſideratis negotii circumſtantiis, veriſimile ſit nequaquam promiſurum, ſi illam præcognoſſet. n.6

83. Cauſæ ſufficientes aliæ a fornicatione ad diſſolvenda ſponſalia, ſi poſt ipſa acciderent, ut lepra, morbus gallicus, & ceteræ ſufficiunt, licet contigerint ante ſponſalia, ſi tamen erant ab altero probabiliter ignoratæ. l.1.d.63.n.2.

84. Ob fornicationem præcedentem ſponſæ, poteſt ſponſus qui eam ignorabat, virginem eſse exiſtimans, diſſolvere ſponſalia. Idem dicendum ſi ſponſus putaret eſse virginem cum tamen ſit vidua. n.3.

85. Dum ſponſus norat ſponſam viduam eſse, negant quidam ob fornicationem præcedentem ſibi incognitam jus habere ſponſalia diſſolvendi; verius tamen eſt, adhuc poſse ſponſum recedere a ſponſalibus; quia eſt notabilis mutatio, & cauſa nove cognita. n.4.& 5.

86. Quamvis ſponſalia juramento ſtabilita ſint, adhuc poſſunt diſſolvi ex eiſdem dictis cauſis præcedentibus ignoratis. n.7.

87. Ob fornicationem ſponſi præcedentem ignoratam, non poteſt ſponſa diſſolvere ſponſalia; licet in contrarium inclinet Navarrus. n.8.& 9.

88. Si ſponſus exiſtimabatur non valde vitioſus, & denuo cognoſcat ſponſa eſse notabiliter vitiis deditum, ita ut notabilem prudentis arbitrio mutationem hæc noritia efficiat, eſt juſta cauſa, ut ſponſa a fide præſtita reſiliat. n.10.

89. Quando dolus admiſus per alterum ſponſum, ipſoque culpæ reo exiſtente, cauſam dedit contractui ſponſalium, ſunt ipſo jure irrita, ita ut ſponſus deceptus nullo modo ipſis aſtringatur; quia omnes contractus bonæ fidei ex hujuſmodi dolo irriti ſunt. l.1. d.64.n.3.

90. Quando dolus cauſam dedit contractui ſponſalium, ſed doli illius particeps non fuit alter ſponſus contrahens, ſed quidam tertius, vel alter, nullo cauſam dante, ſed ſua falſa exiſtimatione deceptus eſt, verius eſt ſponſalia tunc eſse valida, deceptum tamen habere jus illa diſſolvendi. n.4.& 5.

91. Sponſalia dolo circa cauſam contrahendi inita, ſi is cauſam contractui non dederit, ſed inciderit in contractum, quia ſciliicet eo cognito, contrahenda eſſent, minime ſunt irrita. n.6.

92. Cum dolus non dedit cauſam contractui ſponſalium, quia ſponſus ignorans cauſas ſufficientes ad eorum diſſolutionem, eo affectu contraxit, ut ſi eas noſset non deſiſteret a contractu celebrando, non eſt licitum ob eas nove cognitas ſponſalia diſſolvere, quia decepto non permittitur contractum reſcindere, ubi dolus cauſam non dedit, ſed tantum agere ad intereſse. lib. 1. diſp. 65. num. 1. & 2.

93. Ubi contrahens eſt dubius de voluntate habituali; judicanda eſt ea voluntas ex cauſæ gravitate; ſi enim ita ſit notabilis ut arbitrio prudenti gravem mutationem efficiat, præſumendum eſt ſi illam præcognoſcet, eum minime contractuṙum. n.4.

94. Si ſponſalia errore contracta valida ſunt, tunc ſponſus accedens carnaliter ad ſponſam, cenſetur remittere jus reſcindendi ſponſalia, ratione cauſæ præcedentis ignoratæ vel ſubſequentis, ſi illius cauſæ tempore, copulæ conſcius erat, quare non poterit jam ob eam cauſam diſſolvere: idem eſt dicendum, quamvis ſponſus haberet voluntatem non remittendi. l.1. d.66. n.2.& 3.

95. Si priora ſponſalia ipſo jure erant nulla, ſi ſponſus dum habuit copulam conſenſum habuit permanendi in prioribus ſponſalibus ſciens eſse irrita; nec ſponſa priorem conſenſum revocaverit, manent firma; ſimiliter ſi ſciebat per illum actum tacite ratificari, nec contrarium conſenſum habuit; ſecus autem ſi id ignoravit, vel habuit diſſenſum. n.4.

96. Quidam affirmant in omnibus eventibus, in quibus licitum eſt diſſolvere ſponſalia ob cauſam præcedentem ignoratam, vel ſupervenientem, ſi juramento ſtabilita ſint; neceſsarium eſse juramenti relaxationem petere, ſed prorſus tenendum eſt nulla opus eſse relaxatione: nec ideo ſponſalia omnia inferendum eſt eſse conditionalia. l.1. d.67.

97. Secundum quorumdam probabilem opinionem

sponsus qui aliquo vitio laborat occulto, cujus si alter conscius esset, posset juste resilire, non potest cogere alterum ad fidem sponsalium servandam: dicendum tamen est, si sponsalia fuerint valida, patientem vitium occultum, posse cogere alterum sponsum stare sponsalibus: si vero sponsalia essent omnino nulla, quia dolus contractui causam dedit, non potest sponsus doli conscius alterum ignarum cogere. l.1. disp.68. n.7. & 8.

98. Sponsus simili vitio occulto irretitus, non potest ob æquale vitium petere sponsalium dissolutionem. n.9.

99. Aliqui censent sponsalia valida nunquam posse propria authoritate dissolvi: alii autem duplicem casum tantum excipiunt, in quo hoc liceat, nempe in casu ingressus religionis, vel matrimonii alterius contracti; sed concludendum est, ex natura rei ubi est certitudo causæ, & facti, nullam desiderari judicis authoritatem, sed si aliquando ea desideretur, est ratione scandali vitandi. l.1. d.69. n.1. 2. & 3.

100. Si causa dissolvendi sponsalia publica sit ac certa, tam de jure, quia est in jure expressa, quam de facto quia est certum talem causam adesse, tunc, licet sponsalia sint publica, possunt propria authoritate dissolvi, quia in hoc casu scandalum cessat. n.4.

101. Si causa dissolutionis sponsalium certa sit de jure, & de facto, licet occulta, & sponsalia sint etiam occulta, possunt propria authoritate dissolvi, quia similiter cessat scandalum. n.5.

102. Dum causa certa est de jure, & de facto, occulta tamen, & sponsalia publica, judicis authoritas desideratur ad ea dissolvenda; non tamen esset culpa lethalis, sed solum venialis propria authoritate dissolvere, nisi inde grave scandalum oriatur, imo si causa occulta sit ut probari nequeat coram judice, vacabit culpa sponsalia publica propria authoritate dissolvere. n.6. & 7.

103. Dum causa dissolutionis est dubia de jure, quia non est certum esse sufficientem, vel de facto, quia alter non est certus eam adesse, est peccatum lethale propria authoritate solvere sponsalia, quia spoliatur alter in dubio jure sibi acquisito. n.8.

104. Non exigitur ut undequaque certa sit sufficientia causæ, ita ut nulla sit opinio contraria; sed sufficit certitudo moralis, idest, ut causa juxta probabilem opinionem sit sufficiens. n.9.

105. Judex cujus authoritate sponsalia dissolvenda sunt, est solus Ecclesiasticus, Ordinarius, vel delegatus quia hæc materia est spiritualis; non autem erit parochus, quia non est judex in foro externo. n.10.

106. Si causa dissolutionis sponsalium occulta, infamiæ gravis nota afficiat, ut si sit occulta sponsæ reputatæ virginis fornicatio, non statim causa ad judicem deferenda est, sed prius monenda est sponsa ut desistat; si autem nolit, adeundi sunt parentes vel viri pii ut ipsam moneant; quod si adhuc persistat, fas est ad Tribunal Judicis deferre. l.1. d.70.

107. Illa certitudo causæ quæ sufficeret ad dissolvenda sponsalia in foro externo, satis quoque est pro foro conscientiæ: hinc satis est unus testis de certa scientia sibi jurans, vel fama: imo satis est si relatione aliorum, vel propria experientia cognoscat quis, sponsam non fuisse virginem tempore sponsalium. l.1. d.73.

Stipulatio.

1. Attento jure Cæsareo & antiquo regio Castellæ, non potest alter alteri stipulari, idest, acquirere obligationem, seu pro eo acceptare, nec sat est ad acceptandum seu stipulandum pro alio mandatum generale, sed requiritur speciale. l.1. d.7. n.4.

2. Regulariter fratres pro fratribus stipulari non possunt, & secundum aliquos nec mater pro filiis, cum non habeat eos in potestate; tamen contrarium quoad matrem credendum est. n.5.

3. Pater regulariter pro filio stipulari potest; nam aut stipulatur aliquid dandum filio, vel faciendum pro filio: si aliquid dandum filio existenti sub patris potestate, si id dandum est ejus generis ut acquiratur patri ut profectitium quoad proprietatem & usumfructum, & adventitium quoad usumfructum, vel patet: si vero non acquiritur patri, ut castrense, vel quasi, tunc si stipuletur ut filio, vel ut legitimus administrator, valet, si vero ut extraneo, non valet. n.6.

4. Si patris stipulatio fit, pro filiofamilias pro tempore quo sui juris erit, valet, si ut filio, secus si pro ipso ut extraneo. n.7.

5. Tutor potest pro pupillo, & curator pro minori stipulari: item qui sunt sub aliorum potestate, comparatione eorum sub quorum potestate sunt, possunt stipulari, ut filiusfamilias pro patre, servus pro domino, Monachus pro monasterio. n.8. & 9.

6. Asserunt quidam, & probabiliter favore piæ causæ non posse alterum pro altero stipulari; communior tamen ac verior sententia habet favore piæ causæ posse alterum alteri stipulari. n.10.

7. Notarium posse pro absenti stipulari censent aliqui, eo quod est persona publica, nec posse promissorem retrocedere etiam ante absentis ratificationem; verius tamen est posse adhuc revocari ante absentis ratificationem, non obstante notarii stipulatione, donationem seu promissionem a notario absentis nomine acceptatam. n.11.

8. In onerosis & respectivis, & ultro citroque obligatorius, non satis est cujuscumque stipulatio, ut firmus & irrevocabilis sit contractus, sed necessarius est consensus absentis, quo se mutuo obliget; quod non requiritur in contractibus lucrativis. n.12.

9. Nonnullorum probabilis opinio est, oriri obligationem naturalem ex promissione alteri facta, non tamen ab absenti acceptata, & præsertim quando verba promissionis diriguntur in præsentem; verum probabilior sententia ait non oriri naturalem obligationem, quia dum lex contractui resistit, nulla oritur obligatio naturalis. n.17. & 18.

10. Secundum quosdam, stipulatio alteri per alterum facta obligat jure Canonico, & maxime quando verba promissionis diriguntur in præsentem, ut promitto tibi me daturum Titio; ceterum quamvis cum hac moderatione hæc sententia sit satis probabilis: tamen probabilior dicit etiam jure Canonico non valere stipulationem alteri per alterum factam. n.20. & 21.

11. Sentiunt quidam probabiliter stipulationem pro altero factam & firmatam juramento valere nec posse promissorem retrocedere, quia hoc juramentum non est contra bonos mores, nec contra bonum commune; sed melius alii docent, quamvis adsit juramentum & pactum non revocandi, posse adhuc ante absentis acceptationem revocari. n.23. 24. limita.

12. Si juramentum fieret ipsi Deo propter ejus honorem de promissione aliqua implenda, tunc haberet rationem voti, & sic revocari non posset: cum tamen jus non acquiratur homini, sed soli Deo, potest per relaxationem vel commutationem tolli inconsulto homine. n.25.

13. Attento jure novissimo regni Castellæ, quidam asseverant posse quemlibet stipulari pro alio, atque ita correctum esse jus commune; a quorum opinione quamvis magnæ sit authoritatis, recedendum est. n.27. & 28.

14. Quando promissio matrimonii est respectiva, quicumque nomine absentis stipuletur, absque illius speciali mandato ad repromittendum, & quamvis verba promissionis dirigantur in præsentem, potest ante absentis repromissionem, quæ vicissim priori contrahenti nota sit, revocari. n.31. intellige.

15. Si alter stipulans contraheret promittendo pro absenti matrimonium, quæ promissio intelligitur idest se facturum, & curaturum, tunc enim non potest promittens resilire, quia est mutuus contractus utrimque celebratus. n.32.

16. Quando promissio est respectiva, quamvis alter promittat nuncio misso a sponsa ad petendam promissionis fidem, non intimatur sponsæ ut repromittat, illaque repromiserit, potest adhuc resilire, quia ante alterius repromissionem contractus non est perfectus. n.33.

17. Quando promissio est respectiva, si mittatur nuncius non tantum ad petendam matrimonii promissionem, sed ut mittentis promissionem alteri intimet: satis est ut alter coram illo repromittat ut sponsalia perficiantur, neutrique abique alterius consensu revocare liceat. n.34.

18. Asserunt multi si quis per litteras, aut nuncium intimet suum consensum in matrimonium feminæ, non satis esse ut recipiens litteras vel nuncium interius consentiat, sufficere tamen si consensum exprimat, vel mittendi litteras referibendi ipsi vel alii cuicumque; ceterum dicendum est necessariam esse repromissionem illam & acceptationem fieri coram nuncio a promittente miso, vel saltem per epistolam aut nuncium repromittentis eidem promittenti missum. n.35.

19. Quando promissio in absentia facta est gratuita, si fiat coram personis quæ absentis nomine stipulari non possunt, non potest promittens retrocedere, si ille præsens absentis nomine stipuletur, & promissio fiat per verba directa in præsentem, secus si verba promissionis dirigantur in absentem. n.36.

20. Stipulans absentis nomine casu quo stipulari potest, non potest remittere hanc sponsionem, quia per ejus stipulationem jus est absenti acquisitum. n.37.

21. Quando promissio matrimonii facta absenti est causa pia, si verba promissionis in præsentem dirigantur, ut promitto tibi me ducturum Mariam pauperem, & præsens stipuletur absentis nomine, non potest revocari, quando promissio illa gratuita est. n.38.

22. In omnibus casibus in quibus promissio matrimonii facta absenti potest revocari ante acceptationem; potest etiam, licet adsit juramentum de non revocando; nisi juramentum illud fiat per modum voti Deo.

Stuprum.

1. Ajunt quidam virginis consentientis deflorationem esse distinctam injuriæ speciem, quæ stuprum appellatur, necessarioque eam virginitatis circumstantiam esse explicandam in confessione, unde hæc sententia admittit speciem stupri absque raptu inveniri: alii dicunt stuprum, quod est species distincta luxuriæ, tunc esse, quando virgo sub parentum potestate constituta deflorantur; quamvis hæ duæ sententiæ sint valde probabiles, probabilius tamen est non dari speciem

v. Preter c. 5. v. promissio c. 39. & seq. v. verge. v. Seminaculi virginale.

ciem stupri sine raptu, atque ita violationem virginis sponte consentientis, quamvis sub cura paterna, non differre a simplici fornicatione; tuncque folum adesse speciem stupri, quando adest injustitia, eo quod virgo invita violetur, sive sit sub cura parentum, sive non. l.7. d.14. n.3. 4. & 5.

2. Ratio stupri consistit in injustitia admissa auferendo a virgine clausturam virgineum; differtque a raptu, quod raptus solam violentiam importet; non habita ratione status feminæ sive virgo, sive soluta, sive conjugata sit: at stuprum sit solum quando femina est virgo: unde qui vi cognoscit virginem, duplicem luxuriæ malitiam specie diversam committit, alteram stupri, alteram raptus, & utraque est necessario confitenda. num.7.

3. Corruptio virginis precibus importunis ductæ, tunc est stuprum, quando preces illæ violentiæ æquivalent. n.8.

4. Si virgo dolis circumventa, aut ignorans cognoscatur, est stuprum necessario fatendum; quia licet non sit proprie raptus, reducitur tamen ad illum, & est injustitia. num.9.

5. Non est stuprum sed simplex fornicatio, ubi nulla vis infertur feminæ virgini; sed folis parentibus, aut tutoribus, e quorum renitentium domo virgo volens abducitur: unde tenebitur raptor fateri vim illatam parentibus, aut tutoribus, rapiendo puellam sub eorum potestate constitutam, & copulam; at circumstantiam virginitatis non tenebitur explicare. n.10.

6. Fatentur multi deflorantem virginem volentem, esto excusetur, a restitutione facienda ipsi virgini, prout vere excusatur, teneri tamen parentibus aliquid restituere, ob damnum quod patiuntur in bonis fortunæ; at probabilius est nil teneri parentibus, aut tutoribus restituere, quod ils non irrogetur injuria, cum ipsa sit tuæ virginitatis domina, & nuptiarum jacturam pati volens possit, renitente patre. n.11.

7. Ubi violenter virgo defloratur est, non soli virgini, sed etiam patri restituendum esse docent multi: sed nil aliud restituendum est, quam supplementum dotis necessarium virgini ad nubendum, eo quod defloratur fit. n.12

8. Femina virgo timore consentiens deflorationi, minime tenetur circumstantiam virginitatis fateri; quia simplicis fornicationis rea est. n.13.

9. Quæ non est virgo consentiens fornicandi desiderio, non tenetur explicare se non esse virginem, & nunquam tenebitur Confessarius eam, sive actum internum, sive externum fatentem de hac circumstantia interrogare. n.15

10. Cum femina fatetur copulam externam, licet non sit necessarium virginitatis circumstantiam interrogare; sanum tamen consilium erit Confessario id efficere, tanquam tutius, ob opinionum diversitatem. n. 14.

Subreptio.

v. Concilium. v. Confessarius c. 12.

1. Multi censent subreptionem esse in dispensationibus impetratis & rescriptis, quoties veritas tacetur, vel per confusam, ac perplexam ejus narrationem occultatur: obreptionem autem quando falsum narratur: dicendum tamen est hæc esse synonima, & nil inter se differre, ac differentiam hanc nihil deservire quoad irritanda rescripta. l.8. d.21. n.2.

2. Rescripta alia dicuntur esse gratiæ, alia justitiæ: priora dicuntur quæ ad beneficia, dispensationes & alias quæcumque gratias obtinendas conceduntur: posteriora autem quæ ad lites forenses impetrantur, ut ad committendam causam judici in foro externo decidendam. num 1.

3. Rescripta gratiæ per subreptionem obtenta sunt ipso jure nulla, & irrita, quare quidquid virtute eorum factum fuerit nullius est momenti: secus autem de rescriptis justitiæ, quæ valida sunt donec ope exceptionis elidantur, idest, donec adversarius contra quem impetrata sunt, excipiat, allegans esse subreptitia; quare processus virtute illorum factus, validus erit, si de subreptione minime excipiatur. n.3.

v. causa c. 48.

4. Si in eodem rescripto concedatur gratia, seu beneficium principaliter, & accessorie detur alicui jurisdictio ad ejus gratiæ executionem, sicut gratia per subreptionem redditur ipso jure nulla, ita & judicis assignatio. n.6.

5. Taciturnitas qualitatis, quam jura specialiter exprimi jubent, reddit gratiam subreptitiam, quamvis constet fore ut ea expressa Princeps eadem facilitate concessisset; quia pro forma exigunt jura harum qualitatum expressionem: nec refert etiamsi ignoranter ea qualitas tacita fuerit. n.13. & 14.

9. Qualitas quæ ex stylo Curiæ Romanæ in rescriptis exprimenda est; est necessario explicanda, ut vitetur subreptio; nec spectandum est an Princeps ea expressa rescriptum similiter concederet; quia cum stylus curiæ faciat jus, idem de hac qualitate sentiendum est, quod de illa quam jura exprimi jubent. n.16.

7. Quando nec ex jure, nec ex stylo curiæ constat qualitatem tacitam esse exprimendam, tunc vitiantur rescripta quæcumque ex alicujus qualitatis taciturnitate, quando veritate cognita Princeps illa non concederet, vel non absolute concederet sed quibusdam moderationibus adhibitis; secus quando tandem eodem modo concederet, licet multo difficilius: atque ita solius causæ finalis taciturnitas vitiabit gratiam. n.17.

8. Ut dignosci possit qualitatem conducere ad dispensationem, & ejus generis esse ut ea expressa Princeps gratiam non concederet; quando nec ex jure, nec ex stylo curiæ, nec Principis consuetudine id constat, prudentis arbitrio relinquitur dijudicandum: quando autem attentis omnibus circumstantiis dubium est, an causa in dispensatione tacita, vel fallo expressa sit finalis, vel impulsiva, non præsumitur causa finalis, sed impulsiva; quia valori actus jura maxime favent, atque in dubio eum præsumunt. n.19. & 20.

9. Subreptitia est dispensatio, si quis proponat se votum religionis emisisse, cum tamen voverit perseverantiam in eadem; quia tacuit qualitatem intrinsecam tangentem ipsius voti substantiam. n.23.

10. Non est valida impetratio facultatis dispensandi in quodam casu eo non explicato, si petens norit prælatum esse in contraria voluntate habituali; quia in illa indeterminata concessione, non venit casus qui habituali concedentis voluntati adversatur: si autem non adesset hæc habitualis voluntas, nec opinio contraria, valida esset impetratio. n.24.

11. In dubio an dispensatio valida sit, an potius subreptitia, præsumitur eam dispensationem validam. n.25

12. Taciturnitas causæ finalis vitiat dispensationem, quando est de præsenti vel præterito, removens Principem a gratia concedenda: secus dicendum de causis quæ in futurum contingere possunt, quæ se habent ad esse & non esse, de illis enim non est curandum. n.26

13. Taciturnitas veritatis notoriæ, quam creditur Principem novisse, non inducit subreptionem, utpote quæ non inducit ignorantiam, ac defectum intentionis. n.27

14. Si qualitas tacita de jure insit; qualis est reservatio generalis in juris corpore clausa, non inducit subreptionem. num.28.

15. Sustinent quidam expressionem falsi reddere dispensationes, ac ceteras gratias subreptitias, & irritas, etiamsi causa falso expressa sit impulsiva tantum; sed probabilior sententia ait solius causæ finalis falsæ expressione vitiari dispensationes, nimirum, quando Princeps ea falsitate non expressa gratiam minime concessisset: secus quando concessisset, at multo majori difficultate. n.31. & 32

16. Si in foro externo veritas precum in dispensationibus allegata probetur falsis testibus, quando postea constat veritas, censenda est ea dispensatio irrita: & hoc verum, etiamsi testes illi veri essent, quia putabant se verum dicere, & testari: si tamen causa vera in se esset, quamvis falsis testibus probaretur, valeret dispensatio. num.33.

17. Non variatur dispensatio ex falsa causæ expressione, quando ea vere expressa facilior esset dispensatio: ut si impetrans beneficium narret id esse curatum cum sit simplex: intellige tamen quando causa demonstrationis ea qualitas adjungitur, secus si causa taxationis. n.35

18. Secundum Felinum gratia demonstrationis censetur apponi aliquid, quando sub diversis verborum conceptionibus exprimitur: at taxationis gratia quando sub una verborum conceptione: hæc regula admittenda est quoad demonstrationem, at quoad taxationem reprobanda: quia non est sufficiens signum ad colligendum apponi gratia taxationis, unicam esse orationem, sed aliunde id petendum est. n.36.

19. Quando vinculum in quo dispensandum est proponitur sub dubio, cum tamen sit certum; si litteræ dispensationis expediantur in forma communi, asserendo votum, sic: Quidam emisit votum castitatis, & tunc constat dispensationem valere; si autem in precibus votum sub dubio narretur, sic: Quidam est dubius an votum castitatis emiserit, nullatenus valet dispensatio, quia est error in substantia rei in qua dispensatur. n.40.

20. Quoties in dispensatione ad matrimonium ineundum, vel in aliis rescriptis unica exprimitur causa, si ea falsa sit, corruit dispensatio & rescriptum, qualiscumque sit illa causa. n.41.

21. Quoties in rescripto quocumque plures narrantur causæ copulative, quarum aliquæ veræ sunt, aliæ falsæ, spectanda est causa qua nititur rescriptum, atque ea existente vera, non obstat ceterarum falsitas, at cum disjunctive narrantur causæ, sufficit alteram esse veram, ne rescriptum subreptitium sit: & hoc verum tam in rescriptis ad lites, quam gratiosis. n.42. 43. & 44.

22. Si Papa dispensaret cum consanguineis allegata sola copula pro causa, & ea non esset habita, dispensatio foret subreptitia, quia allegatur unica causa, & ea falsa. num.45.

23. Clausula, Motu proprio, in litteris Principis apposita, supplet vitium subreptionis ex taciturnitate veritatis necessario explicandæ consurgens, atque adeo valebit concessio: idem dicendum si hæc Clausula apponatur a Legato, nisi subreptio acciderit in re ipsa, quia Pontifex non esset in specie verisimiliter concessurus. num.47. & 48.

24. Si taceatur inhabilitas concernens personam, ut si beneficium obtenturus sit irregularis, vel careat legitima ætate, non supplebit clausula, motu proprio, hos defectus: idem dicendum, si taciturnitas illa jus tertii respiciat, ut si sit beneficium jurispatronatus, & hoc taceatur. n.49. & 50.

25. Si qualitas intrinseca beneficio taceatur, non valet gratia non ob vitium subreptionis, sed quia non apparet de concedentis voluntate. n.51.

26. Quoties subreptio contingit in falsæ causæ expressione, non supplet clausula motu proprio, hanc subreptionem. num.52.

27. Subreptio tacendo verum, aut falsum exprimendo quando est causa finalis totius rescripti, nullum versatur discrimen sive per ignorantiam, sive per simplicitatem, aut per fraudem, sive malitiam subreptio contigerit; nam in utroque eventu, litteræ erunt omnio subreptitiæ. num.56.

28. Quando subreptio per ignorantiam sive simplicitatem admissa, sive tacendo veritatem, sive explicando falsitatem, non fuit causa finalis totius rescripti, sed partis illius, quia explicata veritate non concederetur ea rescripti pars, & reliqua concederentur, non vitiatur totum rescriptum, sed ea sola pars in qua est subreptio. n.61.

29. Si a negotio circa quod commissa fuit subreptio non dolosa, dependeant alia negotia tanquam accessoria, etiam in his non sit subreptio, corruent tamen perenne principali. n.63.

30. Quando subreptio fuit per fraudem vel malitiam, vitiantur omnino litteræ, quamvis ea non fuerit causa totius rescripti, sed solius formæ specialis; sive ea subreptio contigerit falsum exprimendo sive verum tacendo.n.65

31. Ignorantia quamtumvis crassa & simplicitas, modo non sit ingens temeritas, excusat a pœna irritationis totius rescripti, ratione subreptionis in altera ejus parte commissæ; unde ut locus sit huic pœnæ, desideratur ut impetrans sciens & prudens malitioso animo id faciat. num.66.

32. Non erit locus huic pœnæ irritationis totius rescripti, ratione subreptionis in altera ejus parte, si cum pars verum proposuerit, ipsa ignorante curialis vel sollicitator sciens & prudens subreptionem commiserit, tacita veritate, aut expressa falsitate. n.67.

33. In dubio, hic non præsumitur dolus, sed potius ignorantia, atque illum opponenti incumbit onus probandi. num.68.

34. Si rescriptum contineat plura separata, quidam sentiunt vitiari omnia subreptione dolosa in aliqua parte commissa; at verius est jus non intelligere, quando partes ejusdem rescripti sunt omnino separatæ, sed solum quando altera gratiæ pars connexionem habet cum altera, quia eamdem causam, eumdemque finem recipiunt, tunc enim solum subreptio dolosa in una parte vitiabit aliam. n.70. & 71.

35. Si in eodem rescripto impetret quis dispensationem voti castitatis, ac peregrinationis Jerosolymitanæ allegata sciente falsa causa, circa alterum votum, vera autem circa alterum, non vitiatur dispensatio circa utrumque, sed circa illud in quo causa falsa fuit. n.72.

36. Si duplicis impedimenti ad nuptias dispensatio, in eodem scripto obtineretur, ut voti castitatis, & consanguinitatis, subreptio dolosa in altero vitiabit totam dispensationem. Ibidem.

37. Quidam sentiunt taciturnitatem veri vel falsi expressionem dolosam circa causam impulsivam unius partis rescripti vitiare totum; sed dicendum est solam subreptionem circa causam finalem, sine qua litteræ non concederentur, illas vitiare, & ita quantumvis malitia & dolus adsit in tacenda veritate, vel exprimenda falsitate solius causæ impulsivæ, totius vel partis rescripti, nil ipsius vitiari. n.73. & 74.

38. Pœna irritationis totius rescripti ob subreptionem dolosam in parte illius, non inducitur ipso jure: & ita non vitiantur litteræ justitiæ, sive quoad partem subreptitiam, sive quoad non subreptitiam, sed ope exceptionis utraque pars irritanda est, ratione illius dolosæ subreptionis. num.75.

39. Quando subreptio dolosa fuit circa alterius solam partis causam finalem, non irritatur ipso jure, & in foro conscientiæ ea pars dispensationis quæ vitio caruit sed opus est judicis declaratione. n.78.

40. Quando dispensatio non additur dispensationi, sed est executio dispensationis jam factæ, posterior dispensationis impetratio non est subreptitia, etsi prioris dispensationis non fiat mentio. l.8.d.22.n.1.

41. Si sola dispensationis natura attendatur, non est subreptitia, quod in posteriori mentio non fiat prioris eidem personæ concessæ; quare si ex hac taciturnitate posterior sit judicanda subreptitia, id ex Principis voluntate deducendum est, eo quod credatur fore ut prioris memor, posteriorem denegaret. n.4.

42. Ubi inter priorem, & posteriorem dispensationem nulla est dissonantia, sed sunt super rebus diversis, non est opus mentione prioris in posteriori. n.5.

43. Quando prior & posterior dispensatio sunt circa eamdem rem, ac inter utramque est dissonantia, & partialis quædam contrarietas, quod prior cum moderatione quadam concessa sit, posterior autem absolute & absque illa; subreptitia est posterior nisi prioris mentio Principi fiat. n.6. & hoc non solum verum est in dispensationibus Pontificis, sed etiam in dispensationibus ab inferioribus concessis. n.7.

44. Si quis voti castitatis dispensationem impetret cum limitationibus solitis apponi de stylo curiæ, nempe ad unicum matrimonium & commutatione facta in menstruas confessiones, ac alia pietatis opera, si postea tacita hac impetret aliam absolutam, foret hæc posterior valida. n.11.

45. Si femina ex dispensatione Papæ consanguineo nubat, & eo matrimonio soluto, aliam dispensationem obtineat ad nubendum alii consanguineo, tacita priori, valida erit hæc dispensatio. n.13.

46. Ubi posterior dispensatio subreptitia est, eo quod prioris strictioris non sit mentio facta, si ad prioris corroborationem petita fuit posterior dispensatio, eo quod scrupulus aut dubium de prioris valore urgeret, sola posterior corruit, priori in suo valore perseveranti: si autem posterior dispensatio amplior non est impetrata ad prioris confirmationem, sed illam augendam, quamvis quibusdam placeat neutram valere; multo magis placet adhuc valere priorem dispensationem. n.15. 17. & 18.

47. Quando quispiam dispensatione ducendæ consanguineæ obtenta noluit eam ducere, sed obtinuit dispensationem ad ducendam aliam, prior dispensatio evanuit per hujus posterioris, si valida fuit, impetrationem, licet ea non sit ulus ducendo posteriorem consanguineam. n.19.

48. Si impedimentum matrimonii ex crimine consurgat, ut quod in conjugis necem machinatum sit, vel adulteratum fide matrimonii data, & semel ejus impedimenti dispensationem quis obtinuerit, si dissoluto eo matrimonio, in idem impedimentum inciderit, tenetur in dispensatione posterioris impedimenti facere mentionem prioris dispensationis, ne hæc posterior sit subreptitia: secus si ex distincto crimine impedimentum consurgat. num.20.

49. Quando prior dispensatio priusve privilegium sunt irrita, non est necessaria mentio illorum in posteriori; quia cum illa nullius valoris sit, perinde videtur, ac si impetrata non esset: intellige, quoties prius rescriptum irritum fuit impetratum ab uno ex adversariis, & posterius ab altero: secus quando utrumque ab eodem impetratum est; tunc enim est narrandum prius. n.21. & 22.

50. Dum posterior dispensatio ample concessa est irrita, eo quod tacita sit prior subreptitia limitatior; tota posterior corruit. n.23.

51. Censent quidam satis esse in diversis dispensationibus diversa impedimenta proponi, & quamlibet illarum validam esse quoad impedimentum in ipsa explicatum; & hoc est probabile, licet longe probabilius sit necessario in eadem dispensatione esse mentionem plurium illorum impedimentorum faciendam, ne dispensatio subreptitia sit, ac nullius valoris: nec refert an scienter sive ignoranter alterum impedimentum in ea dispensatione tacitum sit. l.8.d.23.n.1.2. & 3.

52. Ligatus voto religionis aut castitatis, aut non ineundi matrimonii, vel illius non ineundi cum consanguineis, si velit nondum ablato per dispensationem voto, impetrare Pontificiam dispensationem ad ducendam consanguineam, vel aliam feminam cum qua habet impedimentum dirimens; tenetur in eadem petitione explicare Pontifici id votum cum alio impedimento dirimenti; quia eo tacito dispensatio impedimenti dirimentis foret subreptitia. n.4.

53. Si votum, & juramentum de eadem re concurrant, foret dispensatio subreptitia omnino, nisi utrumque vinculum simul dispensandi explicetur. n.5.

54. Quando utrumque impedimentum alia via quam dispensatione tolli potest; non est opus nisi solum quod dispensatione indiget, dispensanti explicare, & alii impedimento potest alia via subveniri. n.6.

55. Si alterum impedimentum sit occultum, & ejus generis; ut ex manifestatione sequeretur infamia; tunc non est necesse utrumque impedimentum proponi Pontifici, sed satis est illi proponere publicum ut in foro externo dispenset; occultum autem sacræ pœnitentiariæ, explicato quoque impedimento publico illi, super quo Pontifex dispensavit. n.7.

56. Quamvis impedimentum occultum ejus esset generis ut ex manifestatione infamia non sequeretur, sat esset publicum Pontifici repræsentari, ut in eo dispenset, & postmodum utrumque Sacræ Pœnitentiariæ. n.8

57. Quoties sunt plura impedimenta, ut vitetur subreptio, omnia sunt necessario narranda, ut virtute dispensationis liceat inire matrimonium. l.8. d.24. n.1.

58. Ne dispensatio subreptitia sit necesse est exprimere quoto gradu consanguinitatis, affinitatis, vel publicæ honestatis ex matrimonio rato, conjuncti sunt contrahere volentes, unde si hæc in genere explicentur tacito gradu, subreptitia est dispensatio, quia deest qualitas necessario exprimenda. n.2. & 3.

59. Si duo sint duplici titulo conjuncti in eodem vel diverso gradu, quidam censent satis esse absolutam gradus illius propinquioris mentionem facere, non explicatam multiplicitate ejusdem vinculi, sed dicendum est ad vitandam subreptionem, esse necessariam mentionem multiplicitatis ejusdem gradus vel diversi, in consanguinitate, affinitate, publica honestate, cognatione spirituali. n.4. & 5.

60. Si affinitas contracta est ex pluribus fornicationibus cum eadem consanguinea, non est opus exprimere copulam fuisse multiplicatam, sed sufficit affinitatis mentio. n.7.

61. Si obtenta Pontificia dispensatione in affinitate, antequam Ordinarius eam exequatur, impetrans iteraret copulam cum eadem consanguinea feminæ a se ducendæ, valet adhuc dispensatio: secus si accideret copula postquam jam dispensavit Ordinarius, vel Confessor pro foro conscientiæ; quia contraheretur nova affinitas per illam copulam subsequentem dispensationem, in qua nulla est dispensandi commissio. n.8.

62. Quamvis dispensatio in aliquo conjunctionis gradu non extendatur ad conjunctionem duplicatam ex utroque parente: at potestas dispensandi in aliquo conjunctionis gradu concessa, extenditur ad eum gradum licet duplicatum. n.9.

63. Cui potestas data est dispensandi in certo gradu, ut in secundo, non posset, si illi adjunctus quoque esset alius gradus etiam inferior. n.10.

64. Non satis est aliquando explicare consanguinitatis gradum, etsi explicetur eum esse inæqualem, sed quando inæqualitas oritur ex eo quod femina sit stipiti proximior, est quoque id explicandum, erit alias dispensatio subreptitia: intellige quando esset amita, vel matertera in secundo vel tertio gradu, secus si in quarto. n.12.

65. In affinitate aut publica honestate non est necessarium explicare majorem feminæ propinquitatem stipiti ad vitandam subreptionem, sed satis est inæqualitatem gradus exprimere. n.13.

66. In consanguinitate, affinitate, vel publica honestate necessarium esset exprimi an distantia graduum sit in linea recta, in affinitate autem ex copula fornicaria, non esset necessarium id exprimere. n.14.

67. In cognatione spirituali necessarium est exprimere, an inter contrahentes sit filiatio spiritualis, an potius compaternitas. n.15.

68. Si publicas honestas oriatur ex matrimonio rato, non satis erit mentionem publicæ honestatis facere, quando petitur dispensatio in primo gradu, sed oportet exprimere eam ex matrimonio rato ortam; quia multo urgentius impedimentum ex matrimonio rato quam ex sponsalibus oritur. n.16.

69. Si error in gradu sit, explicando majorem, ut secundum, cum tamen sit minor, ut tertius, valet dispensatio: imo hoc verum quamvis data opera id mendacium contingeret. n.17.

70. Si tamen error sit explicando gradum inferiorem, ut quartum, cum tamen sit superior, ut tertius, quantumvis ex ignorantia inculpata procedat, est subreptitia & irrita dispensatio. n.18.

71. Si error contingat narrando majus impedimentum, cum tamen sit minus diversæ speciei, ut si dicatur contrahentes esse consanguineos in secundo gradu, cum tamen non sint nisi affines in secundo, vel tertio gradu, dispensatio est subreptitia. n.19.

72. Quando propinquior gradus stipiti fuerit primus, nullatenus valet dispensatio, & est subreptitia, in qua solius remotioris mentio fit: dummodo alter qui est in gradu remotiori sit intra quartum gradum; nam si extra illum sit, nulla est necessaria dispensatio. n.32.

73. Quando petitur dispensatio pro solo foro conscientiæ, affinitatis ex occulta copula fornicaria, valet illa quamvis gradus propinquioris non mentio fiat, dummodo non sit primus; nec sunt necessariæ litteræ declaratoriæ. n.33.

74. Cui conceditur potestas dispensandi in aliquo gradu, potest in eo dispensare quamvis mistus sit ex alio propinquiori; quia is gradus vere non est mistus sed simplex: nisi alter eorum distaret a stipite in primo gradu; propter motum proprium Pii V. dicentis, nunquam Pontificis mentem esse dispensare in hoc casu, nisi exprimatur. n.34.

75. Quando impedimentum affinitatis, & publicæ honestatis concurrunt, sufficit quidam satis esse mentionem affinitatis fieri: alii docent subreptitiam fore dispensationem, nisi de publica honestate mentio quoque fiat; sed distinguendum est: si explicetur affinitas ex copula licita proveniens, ut petendo dispensationem ad consanguineam uxoris ducendam, valebit, etsi publica honestas taceatur: secus facta solius affinitatis in genere mentione. n.36. 37. & 38.

76. Dispensatio petita affinitatis in tertio vel quarto gradu, valet quamvis non explicetur, an ex copula licita oriatur, nec publica honestas. n.39.

77. In petitione dispensationis affinitatis, in primo vel in secundo gradu, si ex copula conjugali oriatur, est necessario explicandum, eam ex copula conjugali consurgere; quia duplex tunc oritur impedimentum, nempe affinitatis & publicæ honestatis: imo nec sufficeret mentio affinitatis in genere, & publicæ honestatis in genere. n.40.

78. In potestate dispensandi in affinitate, includitur quoque publica honestas cum ea concurrens; imo ad hanc extendetur, quamvis sine affinitate sit. n.41.

79. In dispensatione matrimonii inter consanguineos vel affines, non est necessaria mentio facienda copulæ habitæ, quando ea contingit post concessam dispensationem a Pontifice, vel Pœnitentiario, & expeditam cognita precum veritate ab Ordinario vel Confessore: atque ita non vitiatur præcedens dispensatio; quamvis a Pontifice sub ea conditione sit concessa, ut copula non intervenerit. l.8.d.25.n.4. & 5.

80. Quando copula habita est inter consanguineos, vel affines ante dispensationem a Papa concessam, vel post, prius tamen quam Ordinarius illam expediat, vel Confessarius, quando dispensatio est in foro conscientiæ ipsi commissa, quidam docent non esse necessariam ejus copulæ mentionem: alii tenent, si ea copula accidat ante concessam a Pontifice dispensationem, illius taciturnitatem reddere eam subreptitiam, secus si post, quamvis Ordinarius eam non expedierit: verum quamvis hæ duæ sententiæ sint satis probabiles, probabilior tamen ait reddi dispensationem subreptitiam tacito illo incestu; sive is contigerit ante Pontificis dispensationem, sive post, antequam Ordinarius illam expediat. n.6. 7. & 8.

81. Ut sit necessaria explicari hæc copula incestuosa cum consanguinea, vel affini, debet esse intra vas consummata, & ex parte utriusque incestuosa. n.10.

82. Quando incestus esset occultus, non oportet ejus mentionem fieri in dispensatione pro foro externo proposita Pontifici, sed satis est petere ejus dispensationem in sacra pœnitentiaria, explicata quoque ibi consanguinitate vel affinitate publica, super qua dispensavit, aut dispensaturus est Pontifex. n.11.

83. Quando Pontifex dispensat cum consanguineis, vel affinibus sub hac conditione, dummodo copula non intervenerit; quidam indistincte censent dispensationem tunc fore subreptitiam, sive intervenerit copula ante pontificis dispensationem, sive post antequam Ordinarius illam concedat; sed dicendum est hanc conditionem debere intelligi juxta naturam dispensationis conceptæ, sic enim ea in foro externo concedatur, intelligitur, dummodo ea copula constet in foro externo, si vero in foro conscientiæ, intelligitur, quamvis occulta sit. n.12

84. Si copula incestuosa habita sit spe facilius impetrandæ dispensationis, censent quidam non esse nunc necesse eum animum explicare, sed fuisse tempore Pontificatus Pii V. at dicendum est eam spem necessario exprimendam esse ne dispensatio subreptitia sit. n.38. & 39 *v. ignorantia. c. 17. v. judex c.5. & 6.*

85. Subreptitia est dispensatio cum monacho transeundi ad aliam religionem, tacito animo quo dimisit habitum, quando dimisit animo facilius eam obtinendi, eo quod nosset Pontificem non dispensare, nisi habitu prius dimisso: quia æquipollenter hic exprimit falsum: dum enim dimissionem habitus allegat, ut causam secum dispensandi, videtur tacite dicere ex fragilitate a se dimissum esse, & non fraude. n.38.

Suspensio.

1. Suspensio triplex est. 1. est suspensio ab officio, & hoc est suspendi ab exercitio ordinis & officii clericalis. 2. est a beneficio, & hoc est idem quod suspendi tantum a beneficii fructibus. 3. est suspensio ab officio, & beneficio simul. l.3. d.51. n.1. *v. benedictio c.9. v excommunicatio c.11. & 15. v. irregularitas. c.15. v. ignorantia. v. ordo c. 11. v. parochus c.20. & seq. v. vicarius c.15. & seq.*

2. An eo ipso quod suspenditur ab officio & ordine clericali, censeatur suspensus a beneficii jam adepti fructibus, non concordant doctores; sed dicendum est suspensum ab officio non esse suspensum a beneficio, nisi expresse id declaretur. a n.2. ad 12.

3. Ubi suspensio esset perpetua & ob grave delictum, potest sic suspensus privari ipso beneficio. n.13.

4. Parocho suspensus ab officio, quia interfuit matrimonio clandestino, non est suspensus a beneficio. n.14

5. Quidam ajunt parochum triennio suspensum eo quod interfuit clandestino, posse absolvi ab Episcopo ab ea suspensione: tenendum tamen est non posse Episcopum ab ea suspensione absolvere, imo nec virtute Tridentini id poterit; quia ea suspensio non incurritur ipso jure sed per sententiam judicis. l.3.d.52.n.1.2.3.

6. A suspensione ipso jure imposita parocho, vel alii Sacerdoti conjungenti, aut benedicenti alienos parochianos, absque licentia proprii parochi, non solum Episcopus, sed etiam ejus Vicarius generalis poterit absolvere.n.4.

7. Quidam ajunt suspensum vel alia pœna affectum ad tempus, si durante eo tempore aliam suspensionem vel similem pœnam ad tempus incurrat, hoc posterius tempus incipere priori finito; alii distinguunt, si imponatur pœna ut species, idest, cum determinatione temporis a quo incurritur, tunc ligat pœna a die delicti commissi, & confunditur cum priori tempore, quando vero pœna ponitur generaliter & indeterminate ut

te ut dicendo sit suspensus per triennium, posterius triennium incipiet priori finito; verior autem sententia ait incipere statim a die sententiæ judicis inferentis posterius triennium: aut quando incurritur ipso jure, statim a die commissi delicti nisi judex aliud declaret. l.3.d.50.

8. Suspensio jure lata non incurritur ob culpam venialem, potest tamen judex ad breve tempus ob culpam venialem suspendere levi suspensione, juxta Navarrum. lib.9. cisp.32. num.29.

9. Suspensus etiam generaliter, si solis minoribus ordinibus initiatus sit, nullo modo peccat matrimonium iniens, aut benedictiones suscipiens; quippe suspensio est propria clericorum pœna, qua ab actibus ordinis propriis, aut a beneficio suspenduntur. l.7. d.9. n.15.

Tactus.

v. contumelio sportualis c. 27. & 31. v. debitis c. 69. v. delectatio. v. divortium c.18 v. osculo. v. pollutio c.5.13. & seq. v. promisso c.41. v. sponsalia c.65.

1. Tactus non sunt de se, & intrinsece mali, sed indifferentes, quia formalitas nomine tactuum expressa, est quædam actio sensus quæ de se mala non est, & potest fieri licite, si causa est honesta, & illicite, si inhonesta sit. l.9. d.46.n.2.

2. Oscula, & amplexus ex benevolentia, & amicitia honesta habita secundum patriæ consuetudinem, culpa vacant: quamvis inde motus sensualitatis inordinatus, & delectatio venerea insurgant, minime assensum præstante voluntate, quia finis est honestus. n.3.

3. Oscula & amplexus inter personas ejusdem sexus habita, propter solam delectationem sensibilem appetitu sensitivo consurgentem ex ipsis, sunt peccata lethalia, ut inter duos viros, aut duas feminas: quia ad sodomiam referuntur. n.8.

4. Tactus impudici, ut partium vicinarum verendis, vel ipsarum verendarum, nunquam excusantur a mortali, absque necessitate habiti, inter personas distinctí sexus; tamen si tactus illi pudendorum supra vestes haberentur, non intenta delectatione consurgente ex tactu mediato cogitato, sed levi quadam ex tactu immediato, hæc delectatio non est tanta, nec tam propinqua copulæ ut reputanda sit materia gravis. n.11.

5. Si personæ ejusdem sexus, ut si vir viri, aut femina feminæ pudenda tangant ob delectationem veneream ex eo tactu consurgentem est peccatum mortale; quia tactus illi ad sodomiam pertinent, ut quædam illius inchoatio: secus esset si ex quadam levitate & joco, absque animo turpi tactus ille haberetur. n.12.

6. Non est mortale sed sæpe veniale exosculari affectuose & magna cum suavitate molles infantium carnes, quia id non ex venerea delectatione oritur, sed ex amore tenero & suavi infantilis ætatis. n.13.

7. Propria verenda tangere venerea delectatione ex eo tactu orta, mortale est, quia tendit ad mollitiem; secus de tactu ex curiositate, aut levitate, aut gratia manus calefaciendi absque libidine vel pollutionis periculo. n.14.

8. Tactus leves, ut manum feminæ, pedem vel brachium premere, vellicare, digitos intorquere, non sunt communiter peccata mortalia, sed venialia, quia communiter ex levitate quadam, jocoq; & non ex libidine procedunt. n.15

9. Hi tactus leves habiti ob captandam delectationem illam quæ ex ipsis oritur, non sunt peccata lethalia; licet quidam esse affirment: quia delectatio hæc venerea modica materia est ad constituendam culpam mortalem; alias non esset differentia inter hos tactus leves, & inter amplexus & oscula. n.16.

10. Quidam neoterici dicunt, nullum actum luxuriosum conjugis in quo non sit seminis effusio, nec ex vi actus pertinere ad adulterium, nec habere circumstantiam matrimonii necessario explicandam in confessione; ut si vir solutus abutatur sodomitice muliere conjugata; vel vir conjugatus patiatur contra naturam accessum soluti, sed hi audiendi non sunt, quia communi doctorum sententiæ adversantur. n.18.

11. Inter conjugatos non sunt mortales tactus in reddente, sed liciti, quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro conjuge, modo non sit consensus in ipso reddente in pollutionem illam: quia reddens dat operam rei licitæ ad quam obligatur ex jure alterius: limita tamen, nisi tactus tales sint, ut ita ad pollutionem tendant, ut sint quasi pollutio inchoata, & conjuges in eo loco existent in quo copulam habere nequeant prævisa pollutionis periculo: ut si vir digitos in uxoris vas intromittat, ibique persistat, quasi copulam exercendo utens digitis instar membri virilis. l.9. d.45. n.34.

12. In conjuge petente non semper sunt mortales tactus cum periculo pollutionis in se vel in altero conjuge; quando nec ea est intenta, nec est consensus periculum; sed erunt mortales quando absque urgenti causa exercentur. n.35.

13. Tactus impudici in conjuge petente, cum pollutionis in se vel in altero conjuge periculo, nisi in eo loco sint, ubi adveniente periculo possint facile copula uti, ut pollutionem vitent, sunt semper peccata lethalia. n.36

14. Amplexus & oscula, & alii tactus soliti exerceri inter conjuges ad mutuum indicandum, fovendumque amorem & turpitudine carentes, minime damnanda sunt de culpa lethali, ob periculum pollutionis prævisæ: quando non mia voluptas adest, nec incitat, sed tanquam indicia amoris exercentur, represso excessu libidinis insurgentis. n.37.

15. Tactus quo conjux semetipsum tangit, cum pollutionis periculo, est culpa mortalis; quia ad eam valde influit, nec causa urgens illum exercendi adest. n.38.

16. Delectatio morosa conjugis in copulæ conjugalis cogitatione, efficitur culpa lethalis pollutionis periculo prævilo. num.39.

17. Aspectus, & verba turpia cum delectatione venerea sufficienti ad culpam lethalem inter solutos, quamvis inter conjugatos secluso pollutionis periculo ab ea excusentur, minime tamen ab ea excusantur, eo periculo existente. n.40.

18. Impeditis contrahentibus sponsalia, sub conditione, si Papa dispensaverit, ante impetratam dispensationem minime licent tactus, & oscula, quæ sponsis de futuro promissa sunt, quia hæc promissio non habet vim sponsalium: idem dicendum est in quibuscumque sponsalibus conditionalibus, nimirum ante impletam conditionem non licent hi tactus & oscula. l. 5. d.5. n.38. & 40.

Testari.

v. dispensatio c.53 v. donatio c.51. 52. v. gratia c.20. v. licentia c. 18. & 29.

1. Possunt parentes dare facultatem filio testandi de legitima ipsis debita ex bonis filii, ut possit libere de illis disponere in præjudicium aliorum filiorum: hinc fit posse filium hanc testandi licentiam nactum, instituere majoratum cum gravaminibus & conditionibus quas voluerit, & vocare ad illum ipsos parentes, vel extraneos: exigitur tamen juramentum parentis ut hæc licentia testandi valeat, alias non valebit, & ea non obstanti erit parens hæres necessarius. l.6. d.4. n.19.

2. Mater dum nupta est, non potest absque viri licentia concedere hanc facultatem testandi filio, in præjudicium legitimæ sibi obvenientis; quia hic est inclusum pactum de non succedendo: nullum autem pactum inire potest conjugata absque viri consensu. n.20.

3. Testandi licentia legitime semel concessa interveniente juramento, minime potest per parentes revocari absqueconsensu filii, cui concessa est; quia jus est acquisitum illi filio, & quod semel placuit, amplius displicere non potest. n.21.

4. Commissio nomine viri concessa ab ipso uxori testandi, non expirat ea secundo nubente. l.7. d.88. n.14.

Testis.

v. confitio c.64. & seq. v. gratia c.30. v. infideles c.28. v. judex. v. matrimonium. c. 62. & seq. v. matrona. v. parochus. v. peregrini c.16 & seq. v. presentia. v. probatio. v. procurator c. 22.

1. Impedimentum ne matrimonium contrahatur plene probatur unico teste; quia hic agitur de vitando peccato: imo hoc verum, licet testis non fuerit citatus, sed per partem producentem judici oblatus: idem dicendum quamvis testis nolit parte citata, & publice ut testimonium ferri debet, sed clam & absque nominis publicatione testari: item quamvis testis esset denuntiator, vel accusator, allegaretque turpitudinem suam vel sit criminosus. l.1. d.71. a n.1. ad 6.

2. Secundum aliquos non tantum satis est unus testis, vel fama ad impediendum ne sponsalia compleantur, & plene probandum, quando opponitur impedimentum impediens matrimonium, sed etiam quando allegatur alia causa, qua existente nullum esset peccatum contrahere; sed omnino tenendum est oppositum, quia quando agitur de alterius præjudicio, non satis est unius matrimonium. n.7.

3. Ubi sponsalia juramento firmata essent, quidam censent non satis esse unius testimonium ad impediendum matrimonium, sed verius est sufficere testem omnino integrum, quia non minus, quam fama probat, quæ sufficit ad dissolvendum sponsalia jurata. n.8.

4. Qualitates necessariæ, ut unicus testis sponsalia perici impediat, sunt. 1. ut testis deponat, si enim solum denuntiaret, non impediret matrimonium nisi probaret de fama. 2. ut testis juret. 3. ut testis asserat cum juramento se certo scire impedimentum, alias de solo auditu testificans non impediret nisi ad probandam consanguinitatem. 4. ne sit vilis persona a n.9. ad 12.

5. Fama impedimenti plene probat illud, ad effectum impediendi ne matrimonium contrahatur; ea tamen fama non debet esse privata; hæc autem vera sunt quamvis sponsalia juramento firmata sint. n.13. 14. & 15.

6. Non satis esset fama ad impediendum matrimonium, adhibitis de contraria fama clarioribus probationibus: ad deponendum autem contra hanc famam, admittitur etiam consanguineorum juramentum: imo hæc fama eliditur ejusque probatio arbitrio judicis, si contra illam contrahere volentes, jurent se non esse consanguineos. n.16. & 17.

7. Asserunt quidam rumorem ad impediendum matrimonium sufficere; sed contrarium est verius; quia minus probat quam fama. n.18.

8. Ad valorem matrimonii requiruntur duo testes præsentes cum parocho, nec sufficit unus cum eodem parocho. l.3. d.41. n.1.

9. Exigitur ut testes rationis usum habeant, præsentesque sint moraliter, & ut simul parochus & testes interfint matrimonio, nec sufficit si successive coram illis explicent contrahentes consensum, ut modo coram solo parocho, & postea coram testibus absque parocho; quia Tridentinum exigit copulative præsentiam parochi & testium: & aliter contractum matrimonium irritat. n.2. & 3.

10. Ad matrimonii valorem sufficiunt quicumque testes habentes usum rationis nec desideratur ut habeant qualitates jure requisitas, ut in alis negotiis habiles ac legitimi testes censeantur, quare sufficit, licet sint infames,

mes, excommunicati, parentes, consanguinei, servi, familiares, feminæ, imo & infideles. n.5.

11. Licitum est detegere vitia testium occulta, quando id est medium necessarium ad justam defensionem. lib.1. disp.70. num.2.

Titulus.

1. Tripliciter contingere potest, ut aliquis titulo officii vel beneficii destitutus sit. 1. ita ut nunquam habuerit verum titulum, sed coloratum vel præsumptum, ut si Episcopus conferat beneficium parochiale excommunicato, vel per simoniam completam. 2. quando prius habuit verum titulum, eo tamen occulte privatus est. 3. modo, ita ut nunquam habuerit titulum etiam præsumptum, sed ipse se intrusit. l.3.d.22. n.2.

2. Certissimum est gesta a judice Ordinario, pertinentia ad forum externum, valida esse, si is judex titulum habeat, communi errore existimatum legitimum, a legitimo superiore collatum; quia id expresse utroque jure decitum est. n.5.

3. Oportet adesse cum titulo communem errorem, quo ille, verus judex existimatur; quare non sufficeret error unius vel alterius coram eo litigantis: imo nec error solius Principis concedentis titulum, existimantisque illum cui concedit esse habilem. n.6. & 7.

4. Non sufficit error communis, si crassus vel supinus sit; sed oportet esse probabilem; quia ille error scientiæ æquiparatur: sufficeret tamen si sit communis error in eo loco, ubi actus gestus fuit, quia ibi impedimentum erat occultum, quamvis in alio notorium esset: imo licet in eo loco publicum & denuntiatum fuerit impedimentum, si tantum temporis spatium intercesserit, ut jam ab hominum memoria lapsum sit, & ita communiter ignoretur, valent gesta per eum judicem. n.8.9. & 10.

5. Omnia gesta per Prælatum, vel parochum communi errore talem existimatum, habentem titulum putativum a legitimo superiore, valent, etiamsi ad forum conscientiæ spectent: unde confessiones his factæ iterandæ non sunt, detecto impedimento; quia utrumque forum supposita potestate Ordinis, quoad potestatem jurisdictionis est ejusdem rationis. n.13.

6. Quidam negant valere gesta per judicem delegatum putativum communi errore, ad unam vel alteram causam: probabilius est tamen valere, sive judex Ordinarius, sive delegatus sit. n.15. & 16.

7. Verius est, etiam quando vitium est circa commissionem factam a legitimo superiore, dum communiter id vitium ignoratur, valere gesta per delegatum, nisi jus in penam cesset, quamvis quidam contradicant. n.17.18. & 19

8. An gesta per habentem titulum putativum cum communi errore, valeant, ex quocumque impedimento titulus ille invalidus sit, licet sit juris divini; varii varie sentiunt; sit tamen conclusio: Gesta per habentem impedimentum juris divini, aut naturalis, quamvis concurrat titulus putativus & communis error, sunt nullius momenti, sed tantum valida erunt, quando impedimentum est solius juris humani; unde si non Sacerdos sacramentaliter absolvat, quamvis communiter existimetur Sacerdos, & verus parochus, absolutio est irrita. a n.21. ad 27.

9. Gesta per Pontificem inhabilem ut feminam, communi errore concurrente non valent; cum femina jure divino sit incapax Pontificatus. n.28.

10. Si judex usu rationis careat, nil prodest communis error, quo sanæ mentis existimetur; quia id impedimentum juris naturalis est. n.29.

11. Gesta per habentem titulum putativum obtentum tempore quo occulte excommunicatus erat, valida sunt, dum impedimentum communiter latet. n.30.

12. Omnia gesta per excommunicatum occultum, existente communi errore valida sunt: imo post Concilium Constantiense gesta per quemcumque publice excommunicatum, & absolutio ab ipso præstita, dum denuntiatus non est, vel nisi sit notorius clerici percussor, valida sunt. n.31. & 32. a multis diversimode limitatur hæc sententia, sed illorum limitationes admittendæ non sunt. n.33.34. & 35.

13. Gesta per excommunicatum denuntiatum sive notorium clerici percussorem, sive judex ordinarius, sive delegatus sit, pertinentia ad jurisdictionem, sunt prorsus nullius momenti. n.36.

14. Per occultum hæreticum gesta, dum est communis error facti cum titulo vero aut putativo, valida sunt: & hodie post Concilium Constantiense hoc verum, licet sit notorius hæreticus, dum non est denuntiatus. n.37. & 38.

15. Quamvis confessor non sit parochus, seu ex delegatione speciali audiat confessiones, probabilius est valere absolutiones, dum est titulus verus, aut putativus, estque communis error excommunicationis, aut alterius impedimenti; quare quoad hoc, nullum est discrimen inter parochum & alios Confessores delegatos: imo hoc verum, quamvis hic Confessor alibi sit denuntiatus de excommunicatione, si in eo loco occulta sit, communiterque ignoretur: Oppositum tamen quibusdam probabile videtur. n.39

16. Quorumdam sententia est gesta per excommunicatum occultum, vel habentem aliud impedimentum occultum, solum esse valida respectu ignorantium impedimentum; alii disjunctive ajunt gesta respectu scientium aut esse irrita, aut irritanda; sed probabilior sententia ait mero jure valere sic gesta respectu scientium impedimentum, retractanda tamen esse in odium, & punitionem delicti per ipsos admissi. n.40.41. & 42.

17. Hodie, cum attento decreto Concilii Constant. solos excommunicatos vitare teneantur omnes fideles in administratione Sacramentorum, & quacumque alia re, denuntiatos, aut notorios clerici percussores, gesta per talem excommunicatum non denunciatum, nec notorium clerici percussorem, valebunt, nec retractanda erunt respectu scientis impedimentum excommunicationis. n.43.

18. Confessio sacramentalis facta scienter Confessori excommunicato, in loco ubi communiter ejus denuntiatio ignoratur, & est expositus ad audiendas omnium confessiones, valida est ex parte jurisdictionis Confessoris; quia eam ob communem errorem habet. n. 46.

19. Ut gesta valeant, non satis est communis error, sed necessarius est titulus collatus a superiore; quamvis invalidus sit ob aliquod vitium latens; quare dum aliquis sine titulo & authoritate superioris in officium judicis, parochi, aut Confessoris se intrusit, licet communis error facti accedat, gesta per illum ad utrumque forum pertinentia, sunt prorsus invalida; nec oppositum reputatur probabile. n.49.

20. Non sufficit titulum conferri a quocumque superiore, sed conferendus est a legitimo superiore, conferre potenti, alias gesta non valebunt, quamvis communis error adfit. n.50.

21. Si error sit in persona delegantis quia existimabatur communi errore verus Prælatus, cum tamen intrusus esset, absque superioris auctoritate, gesta per delegatum sunt irrita; quia caret titulo collato a legitimo superiore: idem dicendum quando verus superior delegaret, casu quo vere delegare non posset; nam tunc gesta per delegatum non obstante communi errore essent invalida. n.51.

22. Ad titulum obtinendum non satis est electio facta a potente eligere, ubi confirmatio superioris necessaria esset, sed oportet hanc accedere; quia titulus non confertur per electionem, sed per eam confirmationem; secus quando dignitas vel officium confirmatione non indiget, sed sola collatione, vel institutione, vel provisione, quæ vim confirmationis obtinet. n.52.

23. Si peccetur in electionis forma, eo quod solemnitas jure præscripta omittatur in electione, vel collatione, gesta per electum non valent; quia peccatum est in forma, & in radice, & proinde titulus deficit: intellige, nisi accedat legitimi superioris confirmatio; ea enim titulum coloratum confert, dum electionis vitium communiter latet. n.53

24. Quando quis ob delictum ipso jure amittit officium, dum amissio occulta est, valent gesta per illum, quia retinet possessionem qua privari non potest nisi causa cognita: idem dicendum quando ipso facto ob crimen esset privatus beneficio, & possessione; nam dum non est notoria privatio, retinetque possessionem facti, valent gesta per illum. n.56.

25. Dum privatio officii ab homine est occulta, aut occulte licentia audiendi confessiones revocatur, probabilius est adhuc valere gesta concurrenti communi errore, orto a justo tituli initio; quia quædam reliquiæ remanserunt. n.58

26. Matrimonium contractum coram parocho qui absque titulo collato a legitimo superiore, in possessionem parochiæ intrusus est, non valet: si autem titulum habuit a legitimo superiore, invalidum tamen ob vitium occultum, valet matrimonium stante communi errore: & hoc quidem verum quamvis contrahentibus notum sit illum vero parochi titulo carere: valet etiam matrimonium licet is cui concedit parochus licentiam assistendi matrimonio sit mere laicus, si communi errore credebatur Sacerdos. n.60. & 61.

27. Si parochus eo ipso beneficium amiserit, ut quia intra annum non est ad Sacerdotium promotus, vel aliud incompatibile beneficium adeptus est, si matrimonio assistat, vel alius Sacerdos de ejus licentia validum est, quia quamdiu possessione non spoliatur, præsumitur habere justam retinendi causam. n.62.

v. opinio c.17.

Tridentinum Concilium.

v. peregrini c.16 & seq.

Non censetur derogatum Concilii Generalis decretis, nisi expressa mentio fiat, his verbis, non obstante aliqua lege aut constitutione in Concilio Generali edita, imo si Concilium Generale modernum sit, quale est Tridentinum, oportet etiam illius mentionem facere, nec sufficiet generalis derogatio decretorum cujuscumque Concilii. l.3. d.26. n.7.

Turpia.

v. delectatio.

1. Verba turpia proferre, scribere, vel audire, non sunt intrinsece mala; sed indifferentia; ac proinde eorum honestas vel malitia pendent ex circumstantiis adhibitis, ac fine proferentis, scribentis, audientisve. l.9.d.46.n.33

2. Turpia loqui ex eadem levitate, non gratia delectationis veneræ captandæ, sed cujusdam vani solatii, ob delectationem artificii, vel ob aliam causam vanam est tantum veniale. n.34.

3. Verba turpia, cantiones, gestusve possunt per accidens esse peccata mortalia ratione scandali astantium:

hinc loqui verba amatoria feclufo periculo propriæ, vel audientium ruinæ ob folam vanitatem & vanum conciliandum amorem, levemque defectationem, non excedit culpam venialem. n.35. & 36.

4. Audiens turpia cum peccato lethali dicta, de eadem culpa non damnandus erit, quod rigeat & gaudium præ fe fimulare ferat, carens tamen delectatione venerea, ne inurbanus habeatur & de hypocrifis vitio notetur: in duplici tamen cafu erit culpa lethalis. 1. cum perfona eft talis, ut rifu fcandalum generet, fitque risus ille quafi præftare authoritatem verbis turpibus eaque approbare. 2. cum ridet fibi complacens quod exiftimetur turpibus deditus, ob idque laudari & magnifici velit. n.37

5. Dicere aut canere turpia ob notabilem rei turpis delectationem cogitatæ, quæ cogitatione excitatur, & fovetur illis verbis, eft mortale: fi autem modica fit, parvitas materiæ excufabit a mortali. n.38.& 39.

6. Quamvis comœdiis intereffe non fit mortale, ubi nec res turpes repræfentantur, nec modus repræfentandi eft turpis; vel fi hæc concurrant, audiuntur ob folam vanam curiofitatem abfq; periculo probabili lapfus in aliquod peccatum mortale, at quando turpia repræfentantur, vel modus eft turpis, audiuntur que ob delectationem ex ipfis rebus turpibus confurgentem, eft mortale. n.40.

7. Componentes aut repræfentantes comœdias, quæ res valde turpes ac ad venerem excitantes continent: item cantilenas turpes facientes plenas lafciviis, peccant mortaliter, quia funt multis caufa ruinæ. Ibidem.

8. Scribentes aut interpretantes libros turpes, & plenos lafciviis, ad veneremque provocantes, peccant item mortaliter. n.41.

9. Pingentes turpia, ut Venerem, aut Adonidem detectis pudendis, aut diaphano velo opertis, peccant mortaliter; quia hæc valde ad luxuriam provocant. nu.42.

10. Legere libros turpes, tractantefque de obfcœnis amoribus ob folam vanam curiofitatem & delectationem, eft folum veniale: at fi intendatur delectatio venerea confurgens ex ipfis rebus turpibus apprehenfis, eft mortale. n.43.

11. Quando turpia dicere, audire, pingere, legere, eft peccatum mortale ob delectationem veneream inde perceptam, fatendæ funt circumftantiæ perfonarum, ut in delectationibus tactuum & afpectuum. n. 44.

Tutela.

v. vidua c.9. 1. Tutelam filiorum amittit mater ad fecundas nuptias tranfiens; & quidam fuftinent hoc procedere, quando funt fola fponfalia de futuro; at verius eft minime perdi per fponfalia de futuro, quia cum hoc fit pœna non eft extendendum. l.7. d.88. n.4.& 5.

2. Quamvis matrimonium nondum confummatum fit, tamen deperditur tutela: verum matrimonio exiftente irrito, dummodo intervenerit carnalis copula fecundum Baldum etiam amittitur: at hoc exiftimandum eft pertinere ad pœnam fori externi, & ita in confcientia non perdi ante judicis fententiam. n.6. & 7.

3. Suftinent aliqui hoc non procedere in tutela teftamentaria, nimirum, quando mater relicta eft in teftamento viri tutrix filiorum; fed dicendum eft perdi etiam tutelam teftamentariam filiorum tranfeunte matre ad fecundas nuptias, nifi maritus in teftamento contrarium jufferit. n 8. & 9.

4. Matre ad fecundas nuptias tranfeunte, ipfo jure ante omnem judicis fententiam, tutela amittitur, & fecundum Navarrum mater peccat lethaliter, fi poft tranfitum ad fecundas nuptias, retineat tutelam. n.10.

5. Quæ dicta funt de amiffione tutelæ, per tranfitum matris ad fecundas nuptias, accipienda funt fimiliter, fi mater fit curatrix filiorum; id enim munus eo ipfo amittet per eum tranfitum, ficut & munus tutricis; quippe difpofitum in uno habet locum in alio, idem dicendum fi mater fit curatrix filii mente capti, vel furiofi. n. 11.

6. Pater fecundo nubens non amittit legitimam bonorum filiifamilias adminiftrationem; quia adminiftratio fibi conceditur, ratione ufusfructus quem in his bonis habet: at fi filii emancipati tutor fit, quidam dicunt tutelam cadere, inftar matris; fed contrarium eft verius. num.12.

Vagus.

v. Petrarini c.9 v. Religio fus c.8.12 & feq. 1. Vagi dicuntur qui nullibi certam ac conftantem fedem, ac domicilium habent, fed hinc inde vagantur: item dicuntur vagi qui priftinum domicilium omnino deferentes navigant, vel iter faciunt quærentes ubi fe collocent. l 3. d.25. n.1. & 2.

2. Qui relicta parochia nondum ftatuit ad quam migraturus fit, fed quærens domum, interim in aliqua parochia hofpitatur ad breve tempus, dicitur vagus refpectu parochiarum illius oppidi. n.4.

3. Vagi funt fimiliter qui relicta priori parochia ad aliam fe transierunt, & dum domus illa ad quam fe transferunt, expeditur habitatore, hofpitantur in aliqua domo alterius parochiæ. Ibidem.

4. Vagi poffunt cuicumque parocho fateri; quia ubimiffis funt, poftuntque pro delictis alibi commiffis puniri. n.5.

5. Parochus non poteft vagorum matrimonio intereffe, nifi diligenti inquifitione præmiffa & obtenta Ordinarii licentia, fic ftatuit Concilium Tridentinum, quod ob rationis identitatem comprehendit etiam alienigenas alibi habentes fixum domicilium. n.8.

6. Quando alter folus ex contrahentibus vagus, aut forenfis eft, requiritur eadem diligens inquifitio, & licentia Ordinarii: Ordinarius autem cui licentia petenda eft, erit Epifcopus, vel ejus Generalis Vicarius: idem dicendum eft de vicariis aliorum Prælatorum habentium jurifdictionem quafi Epifcopalem. n.9. & 10.

7. Quicumque parochus poteft matrimonio vagorum intereffe, quia idem eft parochus ad audiendas confeffiones, & affiftendum matrimonio: fi tamen effet alicubi confeffor pro vagis deputatus ex privilegio Pontificio, ille deberet eorum matrimonio intereffe, quia is folus effet illorum proprius facerdos in eo loco. n.11. & 12.

8. Si quis priftinum domicilium, omnino deferens iter agat aut naviget, animo acquirendi novum domicilium, dum nondum acquifivit incipiens habitare, poteft coram quocumque parocho contrahere, matrimonium, quia eft vagus, & nulli fubditus. n.13.

9. Si alter ex contrahentibus fit vagus, alter vero incola; poteft quilibet parochus eos matrimonio conjungere; quia ad valorem matrimonii fat eft quilibet contrahentium parochus, fed quilibet eft parochus vagi, ergo quilibet poteft eos matrimonio conjungere. numero 17.

10. Sicut quiliber parochus cui vagi fe fubijcere vellent, poffet eos matrimonio copulare ita poffet dare licentiam alii facerdoti eos conjungendi. n.15.

11. Parochus qui vagos, non fervato decreto Tridentini, nempe non præmiffa debita diligentia, & licentia Ordinarii, matrimonio conjunxerit, peccabit mortaliter, quia violat Tridentini præceptum in re graviffima, & eft fufpendendus triennio: valebit tamen matrimonium: idem dicendum, fi alius facerdos folius parochi licentia obtenta interfit tali matrimonio. n.16. & 17.

Venundare.

1. Integrum eft viro fe venundare renitente uxore; quia vir fubditur uxori in iis folis, quæ ad debiti reddition em pertinent; atque in ceteris eft fui juris: non tamen vacabit culpa lethali ea venditio abfque jufta caufa facta; verum id peccatum non erit contra juftitiam, licet vir faciat in fraudem. l.7. d.23. a n.1. ad 4.

v. Filius c.13. 24. v. Servus tus c.28. & feq.

2. Si vir in uxoris fraudem fe venundet, præbebit juftam divortii petendi caufam: imo integrum erit domino virum, qui fe venundedit, alio vendendum mittere, fi uxor poffit commode eum fequi: uxor tamen venditioni mariti confentiens, non redigitur ob id in fervitutem, fed folum præjudicat tibi quoad debitum conjugale, cui præfertur obfequium domini eodem tempore petitum; nifi fornicationis periculum tunc immineat uxori: & hæc vera funt attento jure communi. num.5. 6. & 7.

3. In regno Hifpaniæ illa venditio viri minime valet, & poteft ab uxore refcindi, licet in fraudem matrimonii facta non fit. n.8.

4. Uxor minime poteft feipfum fervituti mancipare, ac vendere abfque viri confenfu; quia ultra obligationem reddendi debiti conjugalis, in qua conjuges funt pares, fubditur viro tanquam capiti in reliquis quæ ad regimen domus & familiæ attinent; unde talis venditio uxoris abfque confenfu viri facta, effet contra juftitiam. n.9. & 10.

Verba.

v. Confenfus c.9.10 & feq. v. Iuris. v. Matrimonium. v. Procurator c.13 v. Præfumptio. v. Sponfalia & 11 1. In contractu matrimonii quando verba funt dubia, in foro confcientiæ ftandum eft intentioni contrahentium, fi de illa conftet. l.1. d.18. n.1.

2. Si defit intentio & confenfus internus, qualiacumque fint verba, nulla fponfalium aut matrimonii oritur obligatio; & e contra fi adfit intentio fe obligandi vinculo matrimonii, aut fponfalium, & ea manifeftetur aliquo figno externo alteri, ita ut ambo contrahentes intelligant fe mutuo per illa verba velle contrahere matrimonium vel fponfalia, fat erunt quæcumq; verba. n.2.

3. Licet confenfus contrahentium fit de præfenti, fi non fibi mutuo contrahentes per verba de præfenti explicent, fed per verba de futuro, non eft matrimonium. Ibidem.

4. In foro externo non ftatur intentioni contrahentium, eo quod ea Ecclefiam lateat, fed communi verborum intelligentiæ: cogetur q; uterque in eo fenfu verba retinere, quem communiter recte intelligentibus generare folent. n.4

5. In dubio fit matrimonium nec ne, in matrimonii favorem fententia ferenda eft; quia matrimonii favor multus eft; nifi dubium de matrimonio oriatur ex impotentiæ impedimento; & hoc verum pro utroque foro. n.5. & 6.

6. Quando intentio contrahentium conftare nequit, & verba dubia funt, ficut in foro externo, ita in foro confcientiæ judicandum eft juxta communem verborum intelligentiam; quando contrahentes verborum fignificationem intelligebant. n.8.

7. Verba, quibus poffunt matrimonium vel fponfalia contrahi, funt quintuplicia; quædam funt de præfenti,

fenti, vel de futuro quoad fonum & fignificationem, ut accipio, vel accipiam te in meam: alia quoad fonum, & fignificationem de præfenti, fed propter aliquod conjunctum fiunt de futuro, ut accipio te in craftinum: alia funt de futuro quoad fonum, fed de præfenti propter aliquod conjunctum, ut, ex nunc te habebo in meam: tandem alia funt dubia quem fenfum efficiant, ut, volo te habere in uxorem, vel effe meam. n. 9.

8. Verba, quæ quoad fonum & fignificationem funt de præfenti, ut, accipio te in meam, manifeftum eft conftituere matrimonium. n. 10.

9. Verba quæ quoad fonum & fignificationem funt de præfenti, de futuro autem propter adjunctum, ut, accipio te in craftinum, & deinceps; folum conftituunt fponfalia, quia confenfus eft de futuro. n. 11.

10. Circa verba quoad fonum & fignificationem de futuro, dicendum eft conftituere fponfalia, five addatur verbum promitto, five fimpliciter proferantur. n. 12.

11. Verba, promitto me defponfaturum Mariam, non funt fponfalia, fed promiffio de fponfalibus contrahendis, nifi confuetudo loci habeat per ea verba contrahi fponfalia. num. 13.

12. Verba quæ fonant de futuro, at fignificant de præfenti, ratione adjuncti, quando jungantur particulæ illæ adjunctæ, verbis importantibus executionem, conftituunt matrimonium, ut, Ex nunc, vel femper, vel omnibus diebus vitæ meæ, vel deinceps, vel pofthac habebo te, vel tenebo te in uxorem, vel providebo tibi ficut uxori, vel tractabo te ficut uxorem, vel eris mea uxor: quia important hæc verba confenfum de præfenti. num. 14.

13. Quando verbis futuri temporis importantibus executionem, nulla additur particula faciens fignificare de præfenti, ut habebo, tenebo, tractabo te in uxorem, quidam ajunt effe matrimonium: alii docent effe verba dubia, fed probabilior fententia affirmat effe tantum fponfalia. n. 16. 17. & 18.

14. Hæc verba, nunquam te derelinquam pro alia, non conftituunt matrimonium, quia non fignificant confenfum de præfenti; quamvis oppofitum quibuldam placeat. num. 19.

15. Verba, Pofthac eris meus, vel ex nunc, conftituunt matrimonium, quia fignificant confenfum de præfenti: fi tamen dicat uterque contrahens. Efto meus, & efto mea, verius eft non conftituere matrimon. quia eft futurum imperativi quafi rogantis, & petentis confenfu. nu. 20.

16. Verba dubia, ut Volo tecum contrahere, te ducere, te habere in uxorem, nec conftituunt matrimonium, nec fponfalia fecundum quoldam: fecundum alios, fi verbum volo, vel placet, adjungatur infinitivo indicanti initium actus, ejufque fufpenfionem, erunt fponfalia, ut volo te ducere in uxorem; fi vero adjungatur verbo denotanti executionem actus perfecti, eft matrimonium, ut volo te habere, tenere in uxorem: probabilior tamen fententia ait effe fponfalia; negat tamen effe matrimonium, a n. 22. ad 25.

17. Verba, volo te ducere non conftituunt matrimonium quamvis addatur, & in te confentire per verba de præfenti, nifi confuetudo loci haberet per ea verba celebrari matrimonium. n. 26.

18. Si præceffiffet tractatus de contrahendo matrimonio de præfenti, tunc effet fufficiens conjectura animi contrahendi matrimonium, per verba mutuo dicta, volo te cum contrahere. nu. 27. fi autem verbis illis adderetur particula, ex nunc, effet verum matrimonium. n. 28.

19. Per verba negativa, quando eft pura negatio, ita ut neque explicite nec implicite includatur affirmatio, non eft matrimonium nec fponfalia; ut nullam aliam a te ducam: quia confenfus non præftatur per meram negationem; tamen fi addatur affirmatio, funt fponfalia, vel matrimonium: ut non alium, fed te ducam, fponfalia: non aliam fed te duco, eft matrimonium. l.1.d.19.n.1.& 2.

20. Verba, nullam aliam ducam nifi te, quidam ajunt, particulam nifi, concludere affirmationem, & ita effe fponfalia, vel matrimonium, juxta verbum adjunctum, quia dictio nifi, quando fequitur affirmationem, negat, cum fequitur negationem, affirmat: alii docent, effe verba æquivoca, fi fenfus fit exceptivus: verior tamen fententia ait nec effe fponfalia, nec matrim. n. 3. 4. & 5.

21. Si ex conjecturis appareat voluiffe contrahentes per verba nullam aliam ducam nifi te, matrimonium, vel fponfalia inire, ut fi de hoc tunc temporis tractabatur, tunc ad hoc valebunt. n.7.

22. Dictio, quam, ut nullam aliam quam te ducam, Sotus afferit effe æquivocam locutionem, imo effe fenfum vere negativum, fed verius eft idem importare, quod nifi, nam utraque dictio idem fignificat. n. 8.

23. Verbum, præter, ut nullam aliam ducam præter te, quidam affirmant, includere affirmationem ducendi hanc, & ita effe fponfalia; oppofitum tamen eft probabilius; unde dicendum eft nec matrimonium nec fponfalia conftituere, fed promiffionem conditionalem. nu. 9. & 10.

24. Verba parochi, ego vos in matrimonium conjungo, non funt de effentia matrimonii, quare licet omittantur, validum eft. l.3.d.38. n.4.

25. Si audito utriufque contrahentis confenfu, parochus dicat; ego poftea vos conjungam, non impeditur effectus matrimonii, quia mutuo confenfu conjugium jam initum eft. n. 5.

26. Illa verba, ego vos conjungo &c. funt de neceffitate præcepti, quare peccaret parochus ea omittens, fed tantum culpa venialis effet, etfi quidam mortalem putent ea omittere. n.6.7.& 8.

27. Parochus non poteft dicta verba, ego vos conjungo, proferre per interpretem ficut poteft confenfum petere & inquirere per fe vel per interpretem. n. 8.

28. Tenetur parochus interrogare contrahentes de mutuo confenfu, nempe, virum an velit feminam habere in uxorem, & feminam an velit illum in maritum: omiffio tamen hujus interrogationis quando parocho conftaret de mutuo confenfu, eft culpa venialis. n. 9.

29. Ut fciatur quando verbum, volo, faciat electionem & difpofitionem in actibus inter vivos, hæ regulæ ftatuendæ funt. 1. verbum, volo, pofitum abfque infinitivo adjuncto, importat difpofitionem, & electionem, ut volo hanc rem, volo te in uxorem. l.6.d.22.n.7.

30. Secunda regula. Si adjungatur verbum volo, infinitivo importanti executionem, & complementum, importat electionem & difpofitionem, ut volo habere, vel accipere. n. 8.

31. Tertia regula. Si jungatur infinitivo importanti actum expediendum ab alio, volenfque tantum habeat fuam voluntatem explicare, importat mandatum, & difpofitionem, ut, volo te gerere negotia mea. n.9.

32. Quarta regula. Si verbum volo, jungatur infinitivo importanti actum non expedibilem fola voluntate, fed requirentem factum aliquod, non importat difpofitionem, ut, volo afcendere arborem, vel comedere. n.10.

33. Quinta. Si jungatur infinitivo importanti actum, qui fieri nequit ex voluntate unius, fed defiderantem mutuum duorum confenfum, tunc non importat difpofitionem, nifi utriufque confenfus accedat, ut, volo vendere. n.11.

34. Ultima. Si jungatur infinitivo importanti fufpenfionem in futurum, feu actum alium tempore futuro gerendum, non importat difpofitionem, ut volo eligere. n.12.

35. Si termino ad deliberandum, & refpondendum conceffo jam elapfo, diceret aliquis, volo eligere, vel fi ad interrogationem ejus cujus intereft diceret, volo eligere; tunc enim effet electio. n. 14. & 15.

Verba contractus debent juxta illius naturam intelligi. l. 1. d. 5. n. 10.

Verba teftatoris exhortationis, non inducunt conditionem. l.1. d.33. n.28.

Verba debent impropriari, ut vitetur legum correctio. l. 1. d. 17. n. 6.

Verba privilegii operari debent nec una fyllaba debet effe fuperflua. l.3.d.26.n.6.

Verba in lege pofita accipienda funt juxta communem ufum, & ille eft proprietati præferendus. l.6.d.23.n.3.

Verba appofita in contractu ex tabellionum ufu, nihil operantur, cum magis ex ftylo ipforum, quam ex voluntate partium cenfeantur appofita. l.6.d.27.n.6.

Verba appofita in contractu, quando aliud non exprimitur, intelliguntur juxta juris difpofitionem. n. 5.

Verba pofita in lege gratia frequentioris ufus, non reftringunt legem, ne ad cafus fimiles extendatur. l.9. d.14. num.16.

Verba, gratia frequentioris ufus pofita in lege, nec eam limitant, nec in aliis mutant difpofitionem. l. 6. d. 19. num. 10.

Verbum, idem, poteft in eadem clauula referri ad diverfa & accipi æquivoce, refpectu unius proprie, & refpectu alterius improprie. l. 10. d.17. n. 15.

Verba in narratione pofita non continet jus. l.7.d.12.n.29.

Veſtes.

v. alteritas c.5. & 15. v. largitas fponfalitia. 1. Quando confummato matrimonio veftes vir tradit uxori, & conftat de animo dandi, non eft facienda diftinctio an fint veftes pretiofæ, an quotidianæ, fed acquiruntur uxori: fi vero conftet de folo animo accomodandi ad ufum; funt foluto matrimonio reftituendæ viro. l.6.d.25.n.2.

2. Quoad valorem donationis harum veftium eft latum ducrimen; nam fi pretiofæ fint, non valet donatio, nifi morte confirmetur inftar aliarum donationum quæ fiunt inter conjuges. donatio autem veftium quotidianarum ftatim valet, quia hæ veftes pertinent ad alimenta: fi autem uxor docet viro quotidianas veftes animo donandi, non valet ftatim donatio: nam vir tenetur uxorem alere, non autem uxor virum. n. 3.& 4.

3. Quando minime conftat de donandi animo, verior ac frequentiffima fententia eft, in hoc dubio cenferi donatas uxori veftes quotidianas, foluto que matrimonio effe uxoris, & ejus hæredum: veftes autem pretiofas feu feftivas non cenferi donatas, & proinde foluto matrimonio viro aut ejus hæredibus effe reftituendas; & cum non fit donatio veftium, minime confirmari morte, a n. 5. ad 10.